

Ec. 13. 4to





Vf. ist nach Barbier, Dict. des ouvr. anon. IV, col. 1143.

Math. Wesembek.

ÆNIGMA TI
MORVMENON

IN

LVTVM SANGVINE

MACERATVM



Psal. 119.

*Tempus est ut faciat Dominus, dissipauerunt legem
tuam.*

Apocalyp. 13.

*Si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi:
Hac est patientia & fides sanctorum.*

M. D. L. XXIII

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.



IN T A M G N E

M O R A M E N O N

C A N D I D O L E C T O R I.

*Si quid habet macula carmen miserabile Lector,
Ne mirere huius de nouitate rei:
Non hac literulis, sed sunt confecta lituris,
Quas oculis fusa miscuit humor aqua.*



SERENISSIMÆ ET
ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ,
D. ELISABETHÆ BRITAN: ET VICK
narum gentium Regina: Principi non nomine te-
nus, sed re vera Catholice ac Christia-
nissima.

Ecquid cum audieris rudis informata Thalia
Carmina, Romanis haud benè fusa modis.
Censebis Regina hæc non regione latina
Nata, sed Arctoi latrat ubi ora maris.
Ceu res & locus est, sic tornati malè versus
In numeros vena squalidior fluunt.
Conuenientem habitum fert temporis Aonis huius,
Triste sonat pullis tibia funeribus.
Ut quoq; Romulidum nunc est status, exulat inde
Tutius in Schyticas abdita Musa strues.
Iacturamq; venustatis quàm ferre salutis
Mauult: hæc stabulis nam manet, illa perit.
Illa leui amentes cerussa pascit ocellos:
Gaudia at hanc cumulant cœlite plena bono,
Non etiam quicquam nunc est in collibus vrbis,
Quod veterem referat, quod didicisse iuuet.
Roma fuit quondam, prisci fulsere Quirites,
Gracia vix illis par erat ingenijs.
Rudera iam restant, & nomen inane, loquela
Cum magno imperio concidit omnis honos.
Hoc detrimenti possemus ferre modestè,
Ni portenta illo puluere nata forent.
Humano tanquàm prodire cadauere fertur
Serpentes, primi semine credo mali.
Sic illi cineres, avidos genuere Dracones,
Noxior ut Lybicus sit Tyberina plagis.

Ocyus effugiat cætus Babylona piorum,
Conscia queis veri pectora numen habent.
Amphisibenarum latebra & Stygij oscinis esto,
Illa cynædorum carnificina suum.
His Anthropophagi ripis Læstrigones errant
Terribile hospitibus finitimisq; scelus.
Vltra Sauromatas præstat migrare, Getasq;
Oceani steriles & glacialis aquas.
Quàm semel Ausonia pecuaria visere Circes,
Monstra Quirinali que stabulantur humo.
Rupeque Auentina Cacum fulgetra vomentem,
Mentiti & fatuos Veionis igniculos.
Vendentemq; animas auro fumosq; dolosq;
Instructos capiti Christis amæna tuo.
Talem Heliconæ Erato Melicæq; odere sorores,
Spurca Palestinis non placet vlua Deis.
Quod natat in Sodome vomitu, Sybarisue salina,
Iure reformidat barbiter eloquium.
Sicelidis potius Veneris sit & inscia Graie,
Romulidis Clio quàm rea nequitie.
Hoc ego non precio genium mercabor Homeri,
Sit procul abs ista Cypride nostra fidis.
Est satius calamo bardos dispergere cantus,
Ausone quàm Andinum sic retulisse schola.
Quàm totum grauib; Ciceronem reddere scriptis,
Et Fabia insignes irradiare toga.
Illa lacerna humeris quadrat minus à cruce tactis,
Teutonis o placeat concha chlamisq; magis.
Aeternæ ingratus vite propriæq; salutis
Potet ab Albanis ebria philtia cadis.
Campano spumans setina fidelia baccho
Splendeat in mensa sus Epicure tua.

Et

Et qua muscato redolent trulle vsq̃, falerno
 Baiarum in breuibus sint tibi delicijs.
 Hec simul & vitam miserè actam quando relinques,
 Fundana velles quàm caruisse dape.
 Acceq̃, hominum mutantia pocula formas,
 Syrenum Siculos oderis atq̃, modos.
 Quae de Tyrrhena modulantes suauia rupe
 In scopulos adigunt naufraga vela suos.
 Sobria frugali potius mens nectare viuit,
 Cælestiq̃, Deum pascitur Ambrosia.
 Quam procul à Tyberi peramabilis anxia veri
 Irriguo situla è fonte Sionis aquat.
 Hec mihi præ Chijs arridet seria vinis,
 Ne caleant alio pectora nostra mero.
 Ista scaturigo placeat præ mille scatebris
 Quas in Felsineos styx vomit alta lacus.
 Tinctile virus ijs & toxica Colcha bibuntur:
 Illius ethereo vena liquore scatet.
 Vnde salutare aegris animabus odores,
 Et nardi hauritur vicia salubris aqua.
 Inde fluit costum, & succus fragrantis amomi,
 Balsamon & Syriae vallis aromaticum.
 Quod morbos abigens vitam pro morte reponit,
 Diuino mentes imbuit ingenio.
 Ex brutis homines, ex his facit immortales,
 Participes cæli, spiritibusq̃, pares.
 Non Hippocrenen aliam aut Sebethides undas
 Sacrorum Vranie nunc mage docta sitit.
 Quasi ferit latices hos vel per inhospita tesqua,
 Saxa per & medios irrequieta rogos.
 Mantua cum Latio, valeatq̃, hoc fonte reperto
 Aula venustatis Troica quicquid habet.

Non alia vireant diuina poemata lauro,
Cynthius hanc solam Phocida noster amet.
Qui quarunt Acheloiadas, sputumq;, iocosq;,
Et Capitoline suauium Acidalia.
Musca velut, pereunt mul. Et rali immersa cupito:
Talibus absistat prouidus illecebris.
Ne quem decipiant Tarpæi basia scorti,
Illicium Paphia dira venena tegit.
Et Lateranensis nidorg, salesq; culine,
Per magica infectum sulphur abena rotant.
Magno emitur quidquid non vna morte paratur
Quidquid & aeterno venditur exitio.
Cur cedo perpetuo iuuat empta dolore voluptas,
Quæ volucris tanquam somnij imago fugit?
Non mihi doctrinæ contingat opinio talis,
Sit venerum potius nostra cicuta rudis.
Sit rudis Italia, sed rerum docta sacrarum;
Vnde redit lectis indubitata salus.
Toxica dira sibi Capuanis demetat hortis,
Qui lepidas Charites & decus inde petit.
Mirificos ædant Corybantum cymbala pulsus,
Quos furor ad Cybeles orgia vana trahit.
Rauca Celenæo quatiantur tympana Gallo,
Dum proprio vires dissipat ense suas.
Gratus ut Idaliæ sit, & illice percitus æstro
Ipse sibi multa vulnera cæde ferat.
Quæis suus interitus cordi est, hæc sacra frequentent:
Et Phrygijs obeant Dyndima culta modis.
Cui sua mors grata est, Pæstans blanda frutetis
Mella venenato condita flore legat.
Stigmata cum vomicis, calidoq; anthrace reportet
Galla, suburrarum quisq; lupanar amat.

Nam

Nam quid ab hac deinceps liceat sperare Mephitæ,
 Hæc documenta prius non ita nota docent.
 Missa quidem in chartas, sed sic ut abhorreat illa
 Castalis insigni magnificare lyra.
 Ecquis enim dictu audituq; nefanda labore
 Ad cytharæ grandi ducere fila tono.
 Cui nisi fortè triplex sit duro in pectore ferrum,
 Mollior est cordis fibra pusilla mei.
 Ergo hæc non lychnos, redolent lamenta lituras,
 Quas oculis fusa pagina traxit aqua.
 Et nisi triste sonant, quæ sunt tristissima fando
 Digna magis lachrymis quàm pede Nympha tuo.
 Quæis ideo plectrum dextramq; adhibere iacentem
 Consilij nostri nec rationis erat.
 Ni dolor à planctu sibi quæsiisset acerbo
 Chorda leuamenti si quid habere potest.
 Pectine sic curas mærens lenibat Achilles,
 Exul & à patrijs Naso poëta focis.
 Sic & Apostolicam molem canor alleuat hymni,
 Threnodasq; patrum Calliopea fouet.
 Forsitan & conspecta prius perplexa volutis,
 Lucida quæ faciunt hæc modo facta magis:
 Mnemosyne quia non temere sibi visa putauit
 Noluisset absq; usu qualiacunq; tegi.
 Sacramenta decet procerum calare, superni
 Prodere sed monitus regis honorificum est.
 Discat ut impietas cladem euitare propinquam,
 Pœniteat cœpti & noxia corda mali.
 Labi magnates magnis erroribus actos
 Procliue est, nec in hoc protinus orbe nouum.
 Excusare scelus sed enim atq; cruore piorum
 Mergere patratum & continuare nefas:

Id de-

*Id demum accelerat num lubrica fata potentum?
Prodromus hic certi est nuncius annè mali?
At si deplorent factum, pigeatq; fatentes,
Presto importunis est medicina malis.
Mollis Ieside meditando pigra oia, bellis
Dum regio horrendis arcaq; sancta strepit:
Securus populi atq; tui cladisq; futura,
Obscœnum ad cœdem iungis adulterium.
Peccavi Domino gembundo pectore faris,
Peccatum Dominus transtulit inde tuum.
Docte Nino excidium grandi portendis Iona:
Luget ut, exitio est illa leuata suo.
Strage Prophetarum complebat regna Manasses,
Fallor an a simile his nostra querela dolet?
Quam poscit venia est data, non hoc digna nocente:
Omne nefas abolet gratia magna Dei.
Robore latronem recipit Paradisus euntem,
Dum miserere mei Christe redemptor ait.
Qui fuerat Saulus teneri vastator ouilis,
Fit custos, munda pastor & almus hare.
Mystica si poterunt quicquam huc conducere monstra,
Iam tetigit fortus nostra carina suos.
Sin deplorata est lethalis adustio morbi,
Nec finem impietas nec capit ista modum.
Grata tamen Clario quam præmonstrauerat Hermen
Reddit, & Euterpe est munere functa suo.
Forsan & inde Sion fletus solabitur vdos,
Ac aliquid mœsta, ut spero, leuamen erit.
Approperans donec Christus medicamina præstet
Vbera, nec longo deperitura die.
Interea qui sordet adhuc sordescat, agantq;
Curriculum ac animam nequiter orsa suam.*

Quæ

Quæ propius quoniam sentis audisq; dolendo
Dia, faue cæptis Oceaniti meis.
Corporis ac animi quæ dotatissima donis
Soligenam raro munere vincis auem.
Addidit & regnum & regno Deus amplius omni
Accensum flatu lumen ab aethereo.
P. ndoram quis sidereis tibi dotibus æquet?
Quàm patet in laudes area magna tuas?
India non tales baccas neq; ditior Assur,
Taprobane toto nec videt Oceano.
Tempus erit tua cùm virtutibus inclyta facta
Calliope pleetro splendidiore canet.
Cunarum interea non magna crepundia nostrum
Consule diuine mentis Elysa boni.
Sunt etiam fragilis quandoq; idillia buxi
In precio, cælis si qua profecta sonent.
Gaudet & infantum Deus extolli optimus ore:
Vagitus pueri sidera celsa mouet.
Ista reor volucrum cantamina ducere lunam,
Expugnant ipsum talia fata Iouem.
Sint licet ergo hebetis stupido hæc ducta ungue Camæna
Attamen oblectent relligiosa piam.
Par paribus gaudet, retinent temulenta prophanos,
Mens capitur veris flamine facta bonis.
Tu quoq; multigena quam spiritus arte, probisq;
Moribus erudit, nec sinit esse trucem.
Huc castos dimitte oculos, ea fila reuolue,
Virgineas colus haud dedecet ista manus.
Necterei radians bysso, quod luctus abhorret,
Sed tamen ingenuo non inimica stylo.
Sunt equidem ludi: ludentem dicere verum
Quid vetat? o utinam seria ne qua trahant.
Forsitan hæc alij soccis grandi q; cothurno
Congrua quæ tragica sunt grauitate, vebent.

B

Cum

Cum placidus leni mulcere Fauonius aurā
Organa Pindarica cœperit apta chelys.
Nostra more impatiens in vulnere canna recentū
Hæc temerè heroꝝ panxit acerba pede.
Heroum nati, quod vulgo noxa feruntur,
Plorat id exemplis querere posse fidem.
Miscetur dubijs enigma ambagibus, eheu
Quàm cupio euentis ista carere suis.
Sint figmenta Poetarum, sint somnia, bilis
Atra parum sanis qualia saepe ciet.
Inuenies etiam miseris solatia rebus,
Subtexta, in magnis quantulacunq; malis.
Non claris modalata tubis, qui funeris est mos,
Attamen à puris haud aliena sacris.
Quippe nec exequijs sollenni more paratis,
Clangore altifono buccina, iusta facit.
Melpomene Andæo neq; Syrmate mæsta, resurgens
Tum quatit arguta tinnula sinistra manu.
Prefica sed rudibus quæstus immurmurat odis,
Sordida honoratis manibus orsa litans.
Si qua parentatur sanctis, ea nenia sanctum
Stridet, ad Ascreos non benè facta modos.
Nos quoq; dum fletu peragramus busta piorum,
Ingenij curam respuit ipse dolor.
Sola iuuat pietas precibus comitata pudicis,
Absq; alio & cultu sat decorata fides.
Et germana Agape fratrum sua funera ducens,
Has luctus socias hæc libitina petit.
Nec grandem Ialem pigmenta Maronis olentem,
Sed qui tansa graui corda pauore lenet.
Dulce melos, si quid prodest, quacunq; dolorem
Tristibus educunt mentibus, esse solet.
Fercula lugentis sunt hæc iustissima pompæ,
Qualia Christicola concelebrare solent.

Quod

Quod si non aliud, lacrymarum vota Tonanti
Grata, tibi placeant mitis Elysa velim.
Rustica sunt fateor, sonitu sed agrestis auena
Agraria, nec melius digna fuere cani.
Commisssa in triuijs triuiali more notantur,
Conueniunt acri nec scelerata tube.
Ne pigeat generosa tuum aspirare fauorem,
Sic suus & stipula forte redibit honos.
Et tanquam zephyro motus afflante canoros
Barbara Dircaum fistula reddet ebur.
Nulla quidem nostros commendat gratia lusus,
Attamen & gratum est utile quidquid habet.
Nulla licet nostris retonet facundia culmis,
Sint tamen accepti caelica si qua boent.
Non equidem id tanti est, fateor, quantum esse volebam,
Sed tamen in magnis & voluisse sat est.
Arrident tenues conatus dum modo recti;
Est suus exiguis in statione locus.
Fecimus hec modulo pro nostro: grandia promane
Quos melior socia Pallade Phæbus agit.
Tu verò maior quanto es precelsa virago,
Tanto erga minimos esto benigna magis.
Dedicat hos tibi bella sonos heras, cui dedit iccto
Exilium pietas, hospita terra crucem.
Suscipe parua quidem deducta q̄ pollice crasso,
Sed tamen à Lachesis stamina tracta colo.
Hec mage reginam quam compti murice fusi
Lana aut bombycis serica namq̄, decent.
Nempe quod ista abeunt: illa est aeterna supellex;
Principis est summum numina nosse bonum.
Hic tibi sit mundus gemmis preciosior Indis,
Hoc niteat collo diua monile tuo.
Nosse Dei vnigenam affatuq̄, piare frequenti,
Huius & agra pio membra fouere sinu.

Ac gregis afflicti cumulatam inuisere curam,
Flagrantesq; imo fundere corde preces.
Noctes atq; dies veraci incumbere verbo,
Est hominis nunquam labile Nai decus.
Quid prosit totum lucrari posse vel orbem,
Iactura est animæ si facienda sua?
Ille etenim curas adfert quid præter inanes?
Quamque diu hæc ut sint grata, tenere licet?
Pelleo iuueni non vnus sufficit, at quid
Inde tulit, præter busta sibi atq; suis?
Spiritus at viuit semper benè vel malè, postquam
Compedibus fragilis soluitur hospitij.
Quod dein excitum ad sortem consurget eandem,
Laturum meritis premia digna suis.
Optime enim vero quos depurgata Iehouæ
Sanguine, fert pietas & super astra fides.
Has tibi margarides cunctis sapiens eme terris,
Hic adamas castis fulguret articulis.
Cætera sunt peritura: suo hic carbunculus igni
Aurea pro patulum ad sydera monstrat iter.
Calle sed angusto, quo tenditur in bona cæli:
Hanc insiste datam Nerei pulcra, viam.
Si quid ad hunc meus instructum quoq; commodet index,
Esse tibi placitum virgo pœma sine.
Utq; quod es, maneat, arx inuiolata piorum,
Portus & extorrum, perfugiumq; vale.
Salue perpetuum formosa & viue malorum
Expers, Nestoreos ELISABETHA dies.

Ænigma

*A N I G M A T I M O R V M E N O N
I N M A C E R A T V M S O N T I C O
L V T V M T I O R V M S A N G V I N E.*



*Enerat Affectus (nam sic sua fata fe-
rebant)
In grauidam scelere & pugnis ciuilibus
Vrbem,
Cui medium demas pacem despondet amicam:
Sed nisi bella tuae Christi Respublica genti.
Occurrunt aditu primo turpata piorum
Sanguine saepe manus, palla sua monstra professi
Purpurea, sancti generoso sanguine coetus
Infecta: ardentes oculis vultuq; minaci:
Ausu omnes insigne nefas, ausuq; potiti.
Militiaq; domiq; pares & viuere rapto,
Et spoliare bonis animas ac corpora vita:
Sacra prophana suo vafre subiungere ventri,
Et reges prima doctos seruire iuuenta.
Conclamant, arma expediat, quisquis sua secum
Esse velit salua, & diris mucronibus instet
Christiadum populo: quem defensoribus orbum
Seuitia Ausonia non exorabilis aulae,
Qua data porta (velut capta seuitur in vrbe)
Carnificum laqueo, flammis, gladioq; metebat:
Strage furens, & certa Dei corrumpere foedus
Humano generi pactum: per funera crebra,*

B 3 Per

Per tormenta, neces & pœnas igne calentes,
Delere ex animis hominum, rerumq; ruina
Cunctorum penitus toto demergere ponto.
Itur in horrendas cædes, manatq; cruore
Innocuo tellus: regio non vlla nec ora est,
Romulidis quæ non meretricis sentiat vngues,
Progenies Diuûm, pretioso sanguine Christi
Tincta, salutaris diuino munere verbi,
Tum disiecta metu, & mortalis præsidij expers,
Quo nunquam superante stetit contra omnia mundi,
(Namq; suum omnipotens rex regû protegit agmen)
At soli confisa Deo, sibi conscia recti,
Non ignara mali, viq; insidijsq; relinqui
Horribilis turbæ: cui noxia crimina cordi,
Ire & proditio fraudisq; volumina centum.
Illa Deum implorans velut icæta bipennibus ornus
Indomitusq; adamas aut cas inuicta, recentes
Ducit opes ipso à ferro, damnisq; triumphans,
Et crescens animosa suis, ceu fertilis hydra
Mortibus, & rediuiua malis, superat tolerando,
Hostibus insontes iugulos porrecta, minace
Iuratis cruciamento (si numina cœli
Sic impunè sinant) peramabile tollere verum.
Ibant freti animis, studium quibus acre tueri
Dogmata pura Dei, speq; aspera damna leuantes
Infracti dono fidei & virtute Tonantis,
Perspicuam in mortem pro relligione ruebant:

Mortali

Mortali concisa manu, adest imperdita Christo
Corpora, quorum animæ placida modo pace quiescunt.
Illustres animas quæ spreto lumine vitæ
Monstrauere viam patrijs qua reddimur oris.
Hic vobis æquata viri pro fortibus ausis
Munera, cunctipotens æterno reddet honore.
Nec longum in medio tempus, circum orbe voluto,
Vestra reuiuēscent ambusta cadauera flammis,
Veliuolo aut demersa mari, clangente supremam
Angelico noctem lituo: sortita priores
Hinc auras reduci occurrent per nubila Christo.
Abstersuro omnem lachrimam de frontibus ægris:
Immortaliter vt lucis superiq; vigoris
Participes, secum regnent cæloq; fruantur.
Luctus vbiq; fuga, voces & plena tumultu
Compita, multigenæ variataq; mortis imago.
Dira cruentatis passim spectacula terris.
Palantes vt raptor oues, custode remoto
Sternit agris lupus, & prædæ crudeliter instat
Victor hians: resonat balantum vocibus aër.
Sensit inops mentis feralia lapsus in arma:
Multa gemens verbo super, & super heu grege multa
Lectorum Domini, quos excidente duello
Sublatos nunquam satiata tyrannis anhelat.
Cælum oppugnantum: donec vertentibus annis
Ipsa suo saturet se non miseranda cruore.
Quid memorem structas pietati, deniq; vitæ

Decipue

Decipulas, tetrū falsi conamen amici.
Stat casus tolerare omnes, neq̄, prodere verum,
Spemq̄, metumq̄, inter dubio, seu viuere restet
Siue extrema pati, tenui discrimine sortis,
Mens duce nixa Deo, fidens, in vtrumq̄, parata,
Non temerare fidem, vel sæuæ occumbere morti,
Immotum fixumq̄, tenet nil cedere duris:
Nil consciscere queis doleat malè conscia factis.
Ante oculos exempla monent animosa tribulum
Non leue solamen: quin & pro fœdere Ihesu
Oppetere insontem Domino succurrit honestum.
Vota precesq̄, valent, curæ miscentur inanes:
Disce timere Deum, sacro neq̄, ludere verbo,
Cui firmata salus comprehensa volumine vitæ,
Et fidei dono veterem purgata reatum
Sanguine Pontificis cruce dependentis ab alta.
Iussa capeissentem diua & mortalibus ante
Ponentem imperijs, ac clam fugere inde parantem,
Custodes seruant vigiles ad limina portæ:
In stabulis iacet æger equus, nuperq̄, fideles
Diffugiunt comites, posita est custodia pernox,
Qua speratur iter: sed enim fatalis ab ortu
Stat sua cuiq̄, dies & ineuitabile lethum.
Atq̄, huic lege Deum stabili fata altera restant,
Quæ cæcis foribus loca per pridem inuia ductum,
Nec prouisa homini sed circumspecta Iehouæ,
Eripiunt positis ab inani fraude periclis.

Ergo tye

Ergo tyrannorum formidine libera flauis
Læta caro exultabat agris : procul ite fideles,
Quæis sua relligio curæ est, & numen olympi
Spiritus eloquitur : fugite ô Babylona nefastam,
Quisq;, cui nomen scriptum cœlestibus actis.
Talia commemorat celerans, latera ic̄ta recentis
Confodiuntur equi : volat ille volumine longum
Quadrupedante pedum, ac alternis diuidit auras,
Dum superiorum opibus lymphata ex gente recessit.
Hic fessum cursu & confectum pectora curis,
Cygnae excipiunt valles, vbi carmine leni
Multus olor patris ætherei cumulata piorum
(Qualia nunc superant) fata, hem fata aspera luget,
Ac varios diuina tuos Ecclesia casus.
Martyrum & interitus & hiulcas vulnere multo
Sanctorum exuias, deuotaq; corpora morti.
Tum certæ pietatis opes, vita vnica nobis
Vnde redit, ceu naufragijs ac turbine nigro
Disiectas, & si sinerent promissa Deorum
Iam desperatas : cæci ludibria mundi.
Quæ nunc inuadunt flammis & ariete crebro
Titanum soboles, confisa nocentibus ausis
Lumina per verbi patefactum excindere cœlum.
Frustra equidem, si fixa manent decreta parenist
Qui frenat ditione homines & fulmine terret.
Pollicitisq; fides adsit : si fœdera constant
Cœlitis vnigenæ puro sancita cruore.
Vnde laboranti castra auxiliaria sponsæ

C

Pontia

Pontificem debere ducem, cui summa potestas,
Contra quem nihil arma valent, cecinere Prophetæ.
Ipseque patrato conscendens nubila litro
Discipulis eadem monumenta reliquit amicis:
Se fore tutorem nostri, verboque salubri
Recturum vnanimes populos: hoc gentibus vnum
Imperium restare: sibi nam tradita rerum
Esse gubernacula: temere contra ire tyrannum
Iam debellatum mundi: sine cornua ferro
Infringat solido, stimulumque furenter aduncum
Calcitret aduersum trux belua: verte per omnes
Te rerum facies, & toto contrahere regno,
Quantum animis, quantum arte vales, noua fœdera pange,
In caput exitiumque mei furiale popelli
In caput eruptura tuum, Ditisque ruinam.
Namque meis præsto victor sermone triumphans,
Depellam hostiles ad hiantia tartara turmas.
Hic vbi conatusque tui fraudesque tuorum
In fumum exhibunt, atque indelebile stagni
Supplicium ardentis: sint hæc tibi parta trophæa.
Hic consume iras, illo bacchare theatro,
Hos tibi de vera speres pietate triumphos.
At tu paruule grex terris disperse malignis
Humano sine præsidio, sine viribus vllis:
Conformare tuo capiti, patiendo triumphas.
Illius auxilio ritè in tua vota vocati
Stabunt spes atque incepti fiducia belli:
Curribus illi & equis & multo robore fident,
Insidiisque & vi te debellare parabunt.

Tu precibus contrà & virtute paratior ito.
Maeste animis nnsquam deero, Pastori animarum
Fide tuo, cuius meritis & sanguine vinces,
Et mundum & mundi regem infidosq; tyrannos.
Cresce per ærumnas geminasq; resumito vires.
Omnis in vno te cari stat cura Parentis.
O dilectæ animæ descriptaq; nomina cælo,
Respicite hunc Patrem, hanc patriam, sedesq; quietas,
Parta labore meo vobis operæ precia: inde
A dextris moderans rerum genitoris habenas
Sufficiam vires, spirantis numinis ignem,
Victricesq; manus & mirificos successus,
Et tandem æternos vitæ melioris honores:
His quos recta fides mea per vestigia, per tam
Multiplices casus & tot dispendia rerum
Ducit ad astra via hac: quam nunc tibi sponsa præiui.
Vix illa effatum nubes sursum abstulit, vnde
Intonuit læuum omnisator natoq; recepto
Annuit, & volucrem nutu concussit olympum:
Ac iubet esse rata in terris ea scita Deorum:
Per lucem numenq; suum, dextramq; valentem,
Ergo oracla adytis cælestibus edita, dio
Consignata libro subsistent lege perenni,
Euentus habitura suos à numine vero.
Murmure terribili contrà fremat orbis & orcus,
Non hominum furie, non ipse furoribus actus
Effrenis Satanas, potis immutare furendo.
Ergo caducarum peruerso cardine rerum

Orbis & ingrati modo tempestate suprema
Agmine vbi facto venti celeresq; procellae
Abruptaeq; hyemis confusus turbine pontus,
Atq; vadis euerfi imis ad sydera fluctus,
Naufragia & certam praetentant vndiq; mortem,
Sancte madebis vter, sed non fas mergier vnquam.
Heu quia uam piceae subtexunt aethera nubes,
Christe veni, nauarche veni, tua dirige vela,
Propugnaq; tuos, quibus es sacra anchora, nautas.
Ne modo deficient tot consurgentibus vndis,
Atq; tuam fidis inopem rectoribus Argo,
Ipse tuere minas contra caeliq; marisq; :
Ne validis spoliata armis, excussa magistro
Demergatur aquis, & amaro abs hymbre fathiscat.
Praecipiti neu diluuiio quod nostra merentur
Flagitia, heu fontes patria mergamur ab ira,
Et pelagus feriat terrasq; anathema supremum.
Quo res summa loco Immanuel quam tendimus oram?
Quos aperis portus? Statio quae fida carinis?
Surge, nimis dormire diu nauclere videris,
Temporis extremi resonantibus vndiq; nymbis
Occidimus, geminantq; vices freta concita ventis.
Affer opem Soter: alioquin turbine moti
Exuperante maris, Riphæi & flatibus Euri,
Cui sua diuersus sociat spiramina Corus,
Syrtilibus in medijs altaq; perimus abysso.
Ex alio confestim aliud discrimen, vt vnda
Vndam agit in praecipit, metas tu pone furori.

Æterne

Æterne ô regnator ades : tua messis adulta est,
Si qua tuæ te plebis habet pia cura recurre,
Si qua tui ruris te sollicitudo remordet,
Præcipita remoras, in nube reuertæ corusca.
Ne sata læta poli, suaves apiumq; labores
Frigore nocturno aut pereant Aquilonibus auctis.
Neu teneras vites, & pingua cœlitis arui
Culta : patres quondam quæq; excoluere Prophetæ:
Tu quoq; profuso mediator amice rigasti
Sanguine : comburant immissi frugibus ignes.
Collige maturos fructus radicis amaræ,
Et grauidas segetes & ruris adorea farra,
Quasq; tuus retulit turgentes pampinus uvas :
Vineaq; vberibus iam fertilis vsq; racemis.
Tempus adest, vineta rubent, vindemia flauet,
Et iam bruma madens, rubigoq; scabra minantur
Messibus exitium, Boreas discrimina tentat :
Alpinumq; gelu, Septem glaciesq; trionis
Horridior solito, squallent vredine campi.
Ductor ades, cito rumpe moram, Pan magne reuerte.
Dispalantur oues trepidæ, præda vna ferarum
Emta cruore tuo pretioso: haud pœnitent illas
Iure tui : ne te pecoris mitissime Pastor
Pœniteat : tristes pelle à præsepibus vrsos,
Prædonemq; lupum, vastatoremq; leonem,
Palantisq; velis gregis omnem inuisere curam,
Authorem quo te pastus, dapis atq; salubris
Accipiat reducem, terræq; marisq; potentem.

Vae populis quorum princeps balatroue, puerue:
Hostis Iudææ diuini numinis expers.
Post inflammatos bellis ciuilibus vrbes,
Vt cecinit vates, cinerum rex inde futurus,
Scilicet has artes, hæc incunabula frugi
Nullius instituit, teneris benè cautus ab annis
Seruorum seruus, qualis Canaan fuit olim,
Multa timens solio ac iniustis fascibus: astu
Quos dominis raptos, proprium fabrefecit ad vsum,
Quo fucò blandæ phalerato relligionis
Fulminis atq; metu fatui, pro mancipe vili
Abs utatur heris: contextam ex fraude coronam
Multifida, neu quis regum contingere tentet.
Nulla equidem inuidia, linquat viuaria nobis
Libera, doctrinamq; tuam, methodumq; salutis,
Quæ malè ab infido frustra sperauimus hoste,
Hactenus vt non pace minus quàm Marte nocenti:
Cui superare datum est sanctos, & perdere terras
Per modicum, totamq; astris opponere Phlegram,
In specie recti, speciosa sub vice Christi.
Et nunc ille Baal cum semifero comitatu
Atque Mimallonea pompa, ogygysq; cateruis,
Tergemina crines mitra vittisq; reuinctus,
Non pastor sed pernicies & proditor vnus
Infirmarum ouium, stabuli trux proditor almi,
Prostituens animas hominum, delubra deorum:
Haud terrena velut quondam Saturnia proles,
Vltiora petit: cultus & fulmina Diuum,
Imperium cœli, superis imponere morem,

Iussa

Iussa nouare Prophetarum, noua condere fata,
Pandere cui libeat conclusi limina cœli,
Fictitiæ clauis specie, bullisq; quot optat
In numerum censere Deum: queis nobile thuris
Offerumentum atque Arabes statuuntur acerræ
Huius ad arbitrium solius: at hiscere contra
Audentes licet immeritos, Phlegethontis ad umbras
Fulguris intorti minimo dispergere nictu.
Adde quod ex tenuis iam non pudet orbe farinæ
Artibus ut magicis, petulantis murmure linguæ
Teq; tuumq; sacrum corpus generare per omnes
Illius excetræ lucos, & spargere eodem
Tempore velle locis multis, nummoq; vel vno
Vendere frangendū et mandendū: hoc numine gaudet,
Hoc cumulantur opes, alius satiatur Echidnæ.
Hæc sacer Immanuel, oculo viden' vsque sereno,
Et longum toleras missis Salmonea pœnis?
Oblitusq; tui es vindex in crimine tanto?
Talia Palmoni tua iussa vicaria falso
Mentitis, trifidumq; caput tollentibus alto,
Instaura tandem, si digna reposcimus, & mox
Aduentu exoptate tuo, mortalia fini:
Arbitrio æquali partem pro sorte molesta
Ambrosiam positure tuis, contraria prauis.
Ioua veni, ductor reueni, tua sceptrâ capesse,
Nam tibi regales soli debentur honores,
Te patrium diadema manet, regimenq; colendum.
Parcere tu nosti subiectis mitis, & vnam

Corporis

Corporis ac animi miseris afferre salutem.
Quæ bona nunc adimunt quos procurare decebat.
Quin & eunt raptum sacraria, cordibus olli
Atq; animis regnare volunt. licet hæc tua cura
Demere, quæ restat melioris specula vitæ,
Pandoram residem volitantibus undiq; noxis,
Dysq; prophanatas terræ linquentibus oras.
Contenti minimè externis priuisq; bonorum
Fortunis, Briarei dextra omni ex parte coactis,
Nimrodi soboles, venari pingua callens.
Tu defende tuos, & debellato tyrannos.
Sponse senescentem curis ne desere Nympham,
Lassantur nerui, canescit frigida virtus,
Crura tremunt, pigros quatit æger spiritus artus:
Omnia fert ætas: subeunt pallorq; situsq;
Lethales morbi, febres & acuta phrenesis,
Et deliria monstrosis teterrima rixis,
Errores animas absument, corpora marcor.
Deses & effætas vires roburg; veterinus.
Res extrema manus medicas fomentaq; poscit:
Tuq; recepisti gremio gestare fideli
A multis cariosa annis vix ossa trahentem,
Quæ velut occulta consumpta teredine navis
Estur, & antiquo desciscit fracta labore.
Artis Apollinæ inuentor medicare dolenti,
Centaureæ adfer succos & pharmaca grata
Cœlestis Panacææ & odori balsama ligni.
Tu solus quis sollicitos mulcere dolores,

Vulne-

Vulneraque & lacrymas cœlesti abstergere rore:
Omnipotente sinu sociæ fouisse senectam
Coniugis exanguem: tua per miracula Verbi,
Quæ tibi subiecta est, naturæ lege uouata
Artibus inualidis iuuenem renouare vigorem.
Blande marite veni, connubia posthuma comple,
Depactumque tuo formosum hymenæa cruore.
Orphana nam infelix inter spilæa ferarum
Virgo latet, rerum pulcerrima, sed malè lustris
Credita, vbi fraudem vulpinam, vimq; leonum
Perpetitur, Phariæ lethales aspidis ictus,
Gryphis hyperboreæ ac hominem simulantis hyænæ,
Pardalis & variæ morsus, aut cornua Tauri.
Tum Crocodilorum lacrymas, modo Tigridis vngues,
Pungentesq; Nepas, serpentum & mille venena.
Præcipuè Hesperio Basiliscus quæ vomit ore,
Ante nocens virus, Latiae dominator arenæ.
Qui coquus istorum est, crimenque caputque malorum.
Heresiarcha nocens sua qui delicta scelusq;
Imputat innocuis & fictæ crimine vano
Hæresis insimulans, figit tormenta cruceſque.
Præter te quod speret adest nil, cætera miris
Sunt infecta modis: heu lamentabile læsæ
Nunc est exilium, descendit ad intima vulnus.
Et desiderium absentis geminatur Iesu.
Ac producta tui reditus cunctatio, lentè
Festinando, auidos in longum ducit amores.
Ipsa malis senioq; iacens macieq; vetusta

D

Exigit

Exigit occiduam per cuncta nouissima lucem,
Deficiet spatium modici si temporis addas.
Rumpe moram, viduæ serua promissa maritæ:
Vulneribus patulis cataplasmata suggere iusta:
Leniat impactos redolens opobalsamon ictus:
Decrepitæ coniunx capularibus angere turis.
Ærumnis reliquis iam parturientis acerbi
Insuper accedent vtero enitente dolores,
Namque senecta tibi parit, est effœta iuuentus.
Magnificasq; tuam miracula per abdita Christen.
Hinc fecunda igitur superæ spiramine vocis
Fert vterum, iam partus adest, iam ponere sanctum
Gestit onus, promissum istis herosa diebus.
Qui Patris è solio gentes moderetur eburno
Aurea venturum ducturus sæcla sub æuum.
Stat draco septemplex rostris totidemque coronis
Propter acerba tuens quinque bis cornibus asper.
Astra trahens cauda Lernæo infecta veneno.
Colla tument ira: spiras rubicundus, anhelis
Rictibus expectat, puerum si fortè renatum
Glutire insidijs & auaro immergere ventri
Fata Deusq; sinant: qua spe delusus inani,
Cœlite sublato, tua qui iustissima cura est,
Inuadit thalami decus ac torrente procella
Sanguinis & fluuio sanctorum cæde repleto,
Dum biparæ defessa labant vestigia cœptat
Mergere: discrimen sed enim pernicious alis
Subter Diua fugit volucris, per agrestia tesqua
Montis

Montis inaccessi, Tempe Ptolemaidis actæ
Iussa petens: vbi dumosis in saltibus Hermon
Pascitur æthereo nemoralis nectare mellis.
Multi illam Satrapæ, multi petiere Tetrarchæ
Blanditijs, lepida & Cythereidis illice cesto.
Reginæq; orbis per regna patentia matres,
Optauere nurum regali imponere sella.
Ipsa tuo, sed enim lecto contenta, pudoris
Atque pudicitiae memor, inuiolabile seruat
Coniugium pactamq; fidem, tibi dedita soli
Immanuel, te suspirat, te deperit vnum,
Et præstolatur reduci ad sua gaudia sponso.
Quæstibus absentem reuocans noctesq; diesq;
Inde sed ereptam tetricis tot hiatibus offam
Corniger infrendens, in nos ruit impete vasto
Reliquias generis, benedicti semen Abrahae,
Ingrato resides mundo, proh rebus in arctis,
Christe laboriferæ princeps inmote Sionis,
Palmoni promisse tuis, inuicte Michaël,
Tempestiuus ades: nec enim spes vlla salutis,
Nec super humanis vsquam fiducia ceptis.
Abs te pendemus profugi, te nitimur vno,
Qui sumus ossa ex osse tuo germanaque pubes.
Optatam fer. opem, tua regna euersa reuise,
Vndiq; Gorgoneo quæ consumuntur ab hydro
Multorum capitum, sinuosiq; agminis: olli
Contra te sceleratum aliquid procudere dudum
Mens agitat: spiris tortus linguaq; trisulca

Sibilat infaustum virus, aconitaque miscens
Insanis populis, amentes excitat iras.
In specula vigil esto tua, portusque tuere.
Aduerbit en classes & dira sororibus arma
In supera exundans Lethe, ruptisq; cathenis
Dæmones inferni rabidos ad signa maniplos
Impetuosa trahunt, toto volat agmen ab ortu
Occasusq; propè innumerum, certumque nocendi,
Ac execrandis aras animasq; tuorum
Tendiculis, armis citra spem fæderis vllam
Tollere de terris internecone profusa.
Quoque magis fractæ res, & mala causa labascit,
Acrius hoc studijs omnes vehementibus acti,
Incumbunt refugæ sortis sarcire ruinam.
Ipse Gygantæas vires Acherontis ab imo
Suppeditat caput in nostrum, pestemque tuorum.
Versicolor Pluto longinquo astutior usu
Ardelionum operas, periuraque facta Sinonis
Et veteratorum callens multiscius artes,
Phormio multifidus longo versatilis astu,
Gnarus non multum spacij superesse furori
Tela ignita iacit, stimulanisque cupedine Martem
Ingens exitium, totam minitatur & Heclen:
Conuulsam vt reparet sedem, lapsusq; resurgat
Sæuior: haud etenim cessit fiducia victo
Tempora præripere, aduentum dum tardat Iesus.
Deque improviso Phrygias immittere pinus,
Atque Appennini deductas vertice cornos.

Christia

Christidos in gremium : iam cornu sternit utroq;
In septemcolli fixum, bimarique quod Isthmo
(Antimachum qualem verax sacra pagina signat)
Viribus Eois, & Iberi vesperis ausu
Deteriore, sacrum Domini pessundedit agmen.
Cornibus assimile aguinis & nomen obumbrans
Christe tuum, totis te oppugnat viribus orci :
Nec successus abest : notum quid crimine possit.
At nos obniti contra, neque tendere tantum.
Sufficimus, superant quoniam aduersantia curam,
Nec ratio, non arma valent : neq; corpore primæ.
Sufficiunt vires : medijs conatibus ægri.
Succidimus : nec iam sperata euenta sequuntur.
Vincimur insidijs & viribus, hostica multum.
Prona fouet fortuna tuis auersa colonis.
Deq; parum faustis aliorum euentibus : ecquid
Sperandum reputare licet, didicisse dolori est.
Subueni opem qui ferre vales, dispergito puppes
Atq; age diuersas, & adobrue naufraga salsis
Vela vadis : iterum cumulatus Pelion Ossæ
Fulmine rumpatur, displosa à voce Tonantis.
Terra, fretum fugiat, manesq; sequestris Auerni,
Qui nos nate Deo, per tanta pericula casus
Mirificant, quæ vis scopulis appellit acutis?
Quem capiet finem series reuoluta laborum,
Sisyphij & lapidis varium dolor actus in orbem?
Vinitur, at trahimus per quæq; miserrima vitam,
Viscera nostra tui lacerantur atrociter artus,

D 3.

Nam

Nam caput es nostrum, tua nos sumus ossa, caroque,
Natio, quæ in terris non isto imbuta cruore?
Innumerabilium sunt cuncta referta malorum,
Quæ nisi sola Dei medicamina nulla supersunt.
Scilicet hæc funesta manent in calce dierum.
Sæpe malum hoc iterant verorum oracula vatum,
Copia quodque truci concessa sit Antichristo
Profligandi Israël, flammisque cremandi
Dilectas superis animas, turbamque fidelem.
Si porrò id fixum est, neq; retractabile, non fas
Amentes & hero quicquam præscribere seruos.
Irreprehensa tui sunt omnia numinis orsa.
Quicquid erit, superanda omnis fortuna precando;
Si bona suscipimus, mala cur non sustineamus
Quæ diuinitus incurrunt? nec enim ambo rotatu
Voluntur cæco: Domini manus vtraque mittit,
Responsi sed enim restat pars altera certi,
Te fore custodem Solymarum in turbine tanto
Coccinea chlamyde indutum, niueoque micantem
Cornipede, æthereus superum quem exercitus albis
Insequitur rhedis, bysso stellante refulgens:
Pugnaturum hostes contra lethoq; daturum
Terrigenasq; feros, septemgeminumque Draconem,
Atque feram falsis simulatam cornibus agnum,
Et qui nunc coeunt in funera nostra Monarchas
Cristatosque duces, loricatosque tribunos
Terrigenas lixas, & mancipia ære locata.
Agmen agens furias, de te vesana locutum.

Iustus

Iustus enim vindex super es, bellis & abibis
Omnibus inuictus victor: tibi palma relicta est,
Principio & qui fine cares, rerum omnium origo,
Exitus & medium, propter quem cuncta creantur,
Atque manent, finemque suum rediuiua tenebunt.
Tu caput es nostrum, caput insuperabile pugnis.
Fallor an angelicis hortatibus undique citæ
Aduolitant volucres, exercitus aëris omnis
Alite fatidica victricia castra secuta.
Vt sese exaturent illorum abdomine crasso,
Insatiabilis ante fuit quibus ardor habendi,
Innocuumque pij gregis exorbere cruorem.
Non secus ac coruus circum per inane strepentes
Bellatrix Iouis ales agit, pullosque sonoro
Ad prædam clangore ciens, ouat unguibus unctis.
Ista Sebetiadis promissa insculpta tabellæ
Et sancita cruore tuo, te poscimus omnes
Inuiolata fides cui non mutabilis oris,
Verborum rerumque tenax est semper honestas.
Hanc sine nos spem ferre tui, constantius omnes
Ibimus in casus duce te, & quodcumq; pericli est.
Esto militiæ princeps, omenque propinqua
Polliciti, sanctis & ades pede Ihoua secundo.
Prætores comites sequimur, quem haud passibus æquis
In cursus & cana fides amplectitur omnes,
Haud alio vllarum subnixæ pedamine rerum.
Non sine te nobis sunt adiumenta laborum,
Nec sine te nostris adspirant prospera rebus.

Schilo

Schilo perfugium afflictis, mortalia vise.
Hostis adest in conspectu fortissimus armis,
Arte ferox, varijsq; dolis, opibusq; superbis,
Continuo fidens incremento, atq; futura
Præteritis trutinans, spe totum deuorat orbem.
Hinc Orientis opes, illinc obeuntis in vnum
Solis aceruantur: ceruicibus vltima nostris
Fata canunt, equitesq; vagi, peditesq; cruenti
Nos hebetes pauciq;, quibus collapsa feruntur
Retro signa sub aduerso Mauorte repulsa.
Improba confractæ torpent ad prælia vires.
Namque horum ignari, tua spiritualia tantum
Nouimus arma, preces, lacrymas, internaque sancti
Viuisicatoris per duras cognita sortes
Dona, quiescendo hostiles frangentia motus.
Tu pressis vallum, tu murus abeneus esto.
Iusticiæ fulgur nulli euitabile noxæ
Perdat Aoidas cælo impia bella mouentes,
Terrarumque superficiem maris atque profundum
Sanguine fœdantes hominum sine lege profuso
Audi propugnaq; tuos, ac fulmine dextræ
Quod potes, has auerte iras, stragemque piorum.
Qualis enim es, iusti hæc censetur functio regis.
Parcere subiectis est Principis optima virtus:
Perdere subiectos vitium est in Principe summum.
O Sol iusticiæ, genitor cui mandat habenas,
Ecquid eas temerè prensat Clymeneia pubes,
Indocilis moderata sequi, neq; gnara regendi?

In

In bigas aſcende tuas, & frena capeſſe.
Nam tu currus & auriga Iſraëlis, & almi
Vnus mundi oculus, rerum infinita poteſtas.
Viuiſicum cœli iubar ô temone gubernata
Phœbe tuo: lumen putæ immutabile ceræ
Effer in apricum, dextraq; tuere potenti,
Aduerſus noctem & nebulas malè olentis Auerni.
Ne Phaëtontæis erroribus omnia paſſim
In peius ſublapſa ruant, & deuius ignis
Traſtra voret, fumos ſtultis incendia doctis
Immittens, damnum omniuehæ haud reparabile nauis.
Nunc tua iuſta acies niſtet ſuper improba regna,
Collimans in circuitus quos dira merentur:
Vt perdat de terra, homines quæ perdere tentant.
Iam fulgore tuo errantes diſpelle tenebras
Ægypti, magico vitiatas carmine, ſæuus
Quas Pharaon oppreſſo tentat defendere Moſe.
Turbaque futillum à Circe incantata Magorum,
Pro veris ſua qui vendunt cantamina ſacris.
Ioſua magnanime, & Simpson ſub pellibus iſtis
Collige diſperſum vulgus, perq; horrida curui
Auiæ deſerti, & tumidam Iordanis aquæ vim
Roſida in addictæ tranſmitte noualia terræ.
Ac libertatem populi tua ſigna ſecuti
Aſſere ſeruitio & validis defende lacertis.
Mara Iehoua hominum duros miſerate labores,
Quem pater altipotens, ſi quando inimica mouerent
Rectorem vulgi, & Solymæ dedit eſſe magiſtrum.

E

Hei

Hei modo quæ regio nostri non plena cruoris:
Natio quæ tristi non oblita cæde tuorum?
Quos non lictores, totumque infanda per orbem
Supplicia, & numeros cruciatum pendimus omnes.
Vel Sathanae deflenda manus, si ferrea discat
Summani rabies hominum mitescere pœnis.
Vna salus miseris abs te sperare salutem.
Si sine pace tua monitisq; fidelibus horrens
Hoc iter ingredimur pietatis, si sine ductu
Luminis ætherei: ne fontes iuueris vnquam.
Nostra errata ferant: tu nos adige vltor ad vmbra.
Sic etenim melius nec iniqua morte cademus.
Quippe tibi meritò luimus non hostibus vllis
Munere qui viuunt nostro: nam Christida propter
Conseruatur adhuc reliqui pars friuola mundi
Fulcris Ioua tuis: sin tot præcepta secuti
Quæ tua lex pangit: cur nunc adamantina quisquam
Flectere iussa potest? & scribere sanguine nostro
Idolomanie turpis noua scita: quid omnis
Carnificina calet nostris sine crimine flagris?
Fac finem propter patrium decus & tua lytra
Quæ sine honore iacent: animisq; feruntur ab ægris.
Ne pereat sancto cum semine fœta Dione.
At si non aliam patriæ ad stellantis honores
Monstrauere viam tabulae sapientipotentis:
Statq; ratum crucibus summam exercere laborum
Hac mercede placet: celeret bona dulcis olympi,
Tortorum harpago, polluta carne reuinctis,

Ardent

*Ardent qui solui spurcasque relinquere terras.
Debita naturæ & morbis ob nequitiam mors
Omnibus ex æquo propere communis & instans.
Heu quanto melius momento non ita spisso
Messiæ ad laudes opulenti impenditur ausis
Martyrij, pro perpetua mercede decori
Immortalis: enimvero ne gratia tantum
Decedat tua militibus: nil qua sine virtus
Vlla valet mortalis in ista mole pericli,
Inter tot Phalaris tauros, tormenta, necesque.
Offerrumentas quarum nunc æmula Ditis
Auget in immensum nunquam ante audita tyrannis,
Non vnâ mortem reperire tridentibus uncis
Docta, sibi feritate placens, lætissima sævis.
Haud flamma, candensque chalybs, mediisque liquentes
Vulneribus, confecta oleo atque bitumine stuppæ,
Vulnificusque dolon, & plumbum fusile membris,
Ferrataeque manus, ac distendentia nervos
Torcula, solertis schola nec violenta Perilli,
Tota deest: acies cunctas rimata medullas
Sæuit, & in longum funis contractio quantum
Ire sinit, laceri tenduntur diriter artus:
Perque cauas errant pestes sine nomine venas.
Donec nex fibras benè disquisita per omnes,
Et lassata malis, nondum satiata, reuulsos
Ducta per articulos cunctos lentante dolore
Hauriat effugientem animam ruptumque relinquat
Vno quod totum superest pro vulnere corpus.*

E 2 Mens

Mens inuicta manet, colluctaturque dolori
Despiciens rabidi cruciamenta aspera ludi.
Cum diuturna ingens certamen morte ferendo
Suscipit alta fides, & opus crudele fatigans
Spectanti similis, fessos persæpe gregales
Exagitat: Iesuq; crucem clamore retractans
Spiritus, intenso iam depurgatus ab æstu,
Victor ad optatos cœlorum tranat amores.
Id dolet arcanè nil tantum posse laborem
Contra virtutem, nec habet malesana tyrannis
Præterea quid agat: sed consolantur abenis
Lurida supplicij spectacula: pascitur igni,
Arridens placidè, visu audituque nefandis.
Mirum hac ni tragica scena præfultet Auerna
Hic ubi cordolio post est sensura perenni,
Quæ nunc immeritis statuit feralia sanctis
Exempla, aucta quidem breue sed durantia tempus.
Inprimisq; rogos (quæis nunc flammantibus vrit
Synceræ hæreseos messes) incendia mundi
Proxima, tartareum & clibanum, tua dire trophæa,
Hostis, non vano portendentes tibi signo.
Fer torres, & semustis superiniijce fasces:
Da furnos, sylvas accende in membra piorum.
Hinc tamen immitem reprobis cum stabis ad orbem
Te depascentes & adempto fine voraces
Non deërunt flammæ, ac liquida pice feruida fornax
Christe diu, res si qua diu mortalibus vlla est,
Passi digna sumus nobis, indigna professo

Quod

Quod volupe est, Euangelio: tua causa laborat
Quamuis iusta, animosq; parans ad dura vocatos.
Non licet esse pijs vllius margine terræ
Dogma tuum culpæ capitalis & instar habetur.
Tandem præsto adsis, finem mortalibus affer
Ærumnisq; tuæ sponsæ, palisq; tuorum,
Turpibus & Sathanae furijs, odijsq; potentum.
Quamque reliquisti pacto verace salutem
Possimus rebus plenam vt sentire, reuerte,
Ac fessos opibus patriæ solare supernæ.
Iam tandem auulsum manibus sine, vertice montis
Ærijs saxum, valido ruat impete contra
Aurumq; argentumq; & abenea robora mundi
Nutantem & chalybem, fragilesq; imo in pede testas
Exultansq; solo mundi simulacra lutumque
Regnorum inuoluat, tu solus vt arbiter orbis
Ex adamante thronum capias meritamque coronam.
Stella nitens Iacob, prænuncie lucifer ortus
Purpurei, quem post noctem expectamus opacam
Prosperus irradiat, & terris ostende supinis
Luminis os roseum, quo cuncta creata serenas.
In tantis pelagi nunc tempestatibus, vnus
Tu nobis Cynosura, Helice, constansq; Bootes.
Tu verus Pollux, fratrem tu Castora viuum
Efficis, vt tecum immortali gaudeat æuo.
O Loge cum Patribus per te pacata locute
Voce diremisti qui semper & ordine recto
Commotas in agris operosæ Sionis iras,

Et

Et Cadmæorum pugnas sine nomine fratrum
Te missante ducem, quem plebs auersa recusat,
Seditio exarsit, grassatur mobile vulgus:
Iamq; faces & tela petunt nauarchidis arcem.
Tu pietate grauis meritisq;, occurre furori,
Damnososq; tuis cohibe naualibus ignes.
Et rege compositis discordia pectora dictis.
Demulcens animos, acclina flamine veri
In partes facunde tuas, vnum sit ouile,
Vnus vt & pastor, populum qui pascere norit.
Multos imperitare malum: tu maxime rerum
Induperator ades: nam cætera regna furentis
More latrocinij non pascunt, sed mage perdunt
Argilla in statuæ labentis: vidit vt olim
Captus Achæmeneis vates Iudæus in oris,
Terribili in specie errantium vaga monstra ferarum,
Quæ quantum valuere vorant, at cætera rostro
Calcibus & trita ac malè deculcata relinquunt.
Quarum posterior semper foret ore priori
Horridior: nam degenerant prolapsa subinde
Imperia in peius: hominum peccata merentur
Hasce vices: nihil est quod ab his speremus amicum,
Est fructus quorum impietas ignara regendi,
Visceribus patriæ saturantur & vngvine nostro,
Nec blanda aspectu nec cuiquam comia dictu.
Tu tua Dux iterum contraria sceptrâ repone,
Iustitiæ plena & cunctis durantia sæclis.
Ceu tuus è nostro promanat vulnere sanguis,

Nam

Nam de carne tua caro nos sumus, ossibus ossa,
Sic dispersa fluant quasi cerea Solis ab aestu
Membra prophanati delamentata colossi,
Regna superborum deploratissima regum
Dissipat ut glumam & paleas Vulturinus inanes
Hostiles labantur opes à voce Tonantis.
In fabricatoris dirum occiput opposita astris
Machina, Troiani & recidat structura Cyclopi.
Exors virtutis, scelerum sed alumna tyrannis
Cum polypragmonicis incurrat abenea gestis,
Et retro ad nihilum de caelo tacta feratur.
Iasidum fluxa ut dolijs, aut Tantalus unda,
Vere pruinosus aut montibus humor adulto:
Desinat ut tandem irarum fraudisq; malignae
Costidos atq; adipos lentis comburere flammis,
Et magalia non ad has constructa ruinas.
Principio Latij dominatus germen Iesses
Pullulat, & totum complevit odoribus orbem
Nunc fragilis glebae in fibris ferriq; labantis.
O utinam adducta post brumam aestate virescat.
Doctus ades legis custos, foedusq; tuere,
Usque salutiferum, sacra quo praeconia magni
Rite Dei resonant, & fundamenta salutis
Certa reconduuntur nostrae: iam Gorgonis angues
Immiserere luem praetentaq; melle venena.
Tu viuo fontes ligno laticemq; salubrem
Defeca, ne virosam male prouida tabem
Hinc armenta bibant, stygius latet hydrus in vluca.
Christiadum

Christiadum Antistes firmo sancite parentis
Sermone æternum, cuius pia numina placas,
Fragrantique imples patriam libamine storgen.
Robore probroso qui nostra errata piasti,
Pax quo constaret nullis violanda diebus:
Bella vides illata tuis rediuiua mapalis,
Quæ vires & consilium & penè omnia fallunt.
Pacifactor ades, tua protege templa, patremq;
Conciliato tuum nobis, veniamque merere.
Nil huius præter stomachum & peccata veremur
Nostra, quibus meritas telluri inducimur iras
Indignante Deo: cui nos lustramur abunde,
Lenito obsequij reuerente piamine flamen
Intemerate tui: cui tute satisfacis vnus,
Sacrificis præstes meritis & supplice voto.
Intercede tuam patronus suscipe litem,
Qua nunquam, si certa tuis fiducia dictis,
Te generatorem benè pacificante cademus.
Si tu propitius quidnam contra audeat hostis?
Quem Leo de Iuda vicisti fortior, acri
Rugitu circum tua castra furenter euntem:
Vt quos tu seruare cupis, truce perdat hiatu.
Sed benè te Christis stante indeiecta manebit.
Si dignare clientela, dignatus amore
Quos prius es, capitis quisquam hos arcessere tentet?
Nos tua seruamur per vulnera, morte vigemus.
Nostra patrocinio quamuis persæpe laborans
Causa tuo, siquidem te iudice, iusta feretur.

Si tu

Si tu praesidium, cur formidabimus orcum?
Qui coeptum nostrae es consummatorq; salutis,
Et caput anguigenae conculcasti pede praestris.
Schilo in te spes una super: miserere tuorum,
Electos solare inopes, succurre propulsis.
Nox ruit atra polo, luciq; inimica potestas
Ceca tenebrarum, partes immissa per omnes
Fulminat, horrissonis exercitibusq; minatur
Deiecturum arces & opes, vastoq; daturum
Christiadum excidio populos: in te ora fugati
Ad te oculos referunt, tua nunc promissa reposcunt,
Mulctati: quibus heu tot crudelissima passis,
Dogma tuum propter cunctus praeccluditur orbis.
Te petimus pacem, votis pater annue nostris
Supplicibus protende manus irasq; remitte,
Atq; tuo reditu fulcimentum solidum affer
Rebus opemque tuis: alioqui cuncta dehiscunt,
Nec grauis ulterius Troianae dipsadis ira,
Nec dolor & luctus nostraeq; iniuria sortis
Quo iam progrediantur habent? fini arbiter aeuum.
Quippe reuertendo lapsam vnus restitues rem,
Cuius & imperium est, & non finita potestas.
Talibus orabant, flentes sine fine modoq;
(Quippe dolor multos facit) indignissima dictu
Fata virum, fortemq; marem, fortemque puellam.
Quos sceleris puros, & non pietatis egentes
Demisere neci: Quis cladem & funera fando
Explicet, aut lacrymis queat exaequare dolores?

F

Fletis

Fletibus his concussi animi, flagransq; querelis,
It planctus resoni caua per laquearia tecti.
Hospes ad hæc senior, questus miseratus acerbos:
(Quem sua declinant in dulcem lumina somnum:
Plurima nam mento, & canis nix fusa capillis
Fessa senis iustam querit per membra quietem)
Spem vultu simulans dictis solatur amicis.
Fas equidem est metas excedere iure querendo.
Quis gemitus pietate graues lamentaq; carpit
Christiadium? Dominus queis flere hoc orbe reliquit:
Attamen ipse modum præscribens, omine vitæ
Quæ restat melioris agi vult corde triumphum.
Nam quæ letitiæ par est erumna futuræ?
Vsq; adeò ne mori tetricum pro lege parentis?
Atq; obita vitam mercari morte perennem?
Cum morbi, febresq; & mille pericula lethi
Mortali haud longum permittant aëre vesci.
O fratres, nec enim expertes sumus ante malorum,
O passi intoleranda, dabit Deus his quoq; finem.
Parendum interea huic, & qualiacumq; ferenda.
Quo Christi sponsæq; vocat fortuna sequamur.
Astra viam pandent, aderitq; vocatus Iesus.
Cum quo si patimur, certè & regnabimus vna:
Qui profligamur Domino quod digna professi,
Gestantes liuentem habitum trabe pensilis Agni,
Spinasq; tribulosq; & tempora vincula epresso:
Inde triumphantis faciem victoris amœnam,
Et laurum & palmas radianti fronte geremus.

Cum

Cum fratre hinc dabitur patulo succedere cœlo
 Syderis in numerum, gemmataq; arce morari.
 Quàm benè Cassiope rutilo coniuncta marito,
 Quàm benè conueniunt capiti sua membra decoro.
 Sanguine virginei casto soteris, olympi
 Inquisiti aditus, nostro iam vulnere rursus
 Quærendi reditus, animaq; nocente litandum.
 Principe si seriem repetas ab origine mundi,
 Cœpit ab innocui pinguescere Costis Abeli
 Interitu, creuit Stephani rorante cruore
 Totq; Prophetarum, tot Apostolici gregis atq;
 Heroum, sæuis semper luctata tyrannis.
 Postquam ad caniciem redijt veterana caducam,
 Non alio finire obitu neq; debet honestæ
 Militiæ sacramento nisi morte rogato.
 Magnanima solui nam sic sententia magni
 Stat soceri & sponsi, nostrum est parère tribules
 Sabbata per curas qui quærimus alma profestas:
 Per miseros casus & ineluctabile fatum
 Sanguineasq; neces atq; infortunia magna
 Præsidis exemplo prius hac regione profecti
 Tendimus in cœlum, sedes vbi scita Deorum
 Promittunt placidas, æternæ præmia vitæ.
 Illic fas regnare pijs, huc tendere vota,
 Hic inuenta quies, hæc illa suprema molestis
 Supplicijs factura modum, gratissima nobis
 Atq; optata dies, quæ dura in bella vocatis
 Per tantos damnorum æstus, & quicquid acerbum est

Exoritur, noua lux mentes & gaudia complent.
State viri fortes, trepidos conuertite sensus
In melius, iam finis adest, en meta laborum.
Fallor an exoritur, qua Cassiopaëa relucet,
Luciferum sydus, Iouiali æquale, sed igni
Fulgidius, prisca stella aspectabilis Iacob,
Nunquam visa prius, nisi cum signaret in ortu
Eois ducibus nati incunabula regis.
Scilicet hunc reducem portendens, celsa tueri
Erectosq; monet super æthera tollere vultus,
Huc fractos reuocate animos, pauidumq; timorem
Ponite, forsitan hæc inibi meminisse iuuabit.
Hoc nos solemur lapsus, celeremque ruinam
Atque ignominias & inemendabile fatum.
Verbera debemus superis odijsq; Sathanæ:
Esto, sed & nobis debentur gaudia cæli.
Durate atq; animas patriam ad stellantis olympi
Erecti, pensate illis incommoda letis,
Venturiq; boni rectæ spes pectora pascant.
Interea Deus ipse suos & fata gubernet.
Prouidus ille tuetur oues, ouiumque magistros,
Cuius nunc furie pupillam extinguere tentant.
Illius est causa hæc, non fontica, sed benè doctos
Attollens animos, illi sunt omnia cordi.
Tuta procellosi feriant sine littora fluctus.
Nunc vino & somno curæ pellantur inanes,
Laxate his artus & corda oblita malorum.
Dixit: & infusos redolenti nectare circum

Crateras

Crateras statuit, parili bibit ordine turba
Spumantem pateram, & summo tenus attigit ore.
Ægra ac fessa malis: donec declivis olympo
Voluitur umbra, cecidit & prona crepuscula somnos.
Mox tacitus matutinis sopor irrigat alis,
Nec mora grandius hic mœrore ingente sepulto
Obijciturque aliud monstrum, magis atq; tremendum.
Siue insomnia sic ludunt, vt Homericæ quondam
Res Agamemnonias Danaum, seu gnara futuri
Fata canunt iras commisso nobile dignas.
Labitur ecce polo Nemesis sine remige penna,
Atq; pedum motu, qualis superiorum incessus:
Os habitumq; Deæ similis, vestemq; corusca,
Tortiva minis, oculos lacrymis suffusa nitentes.
Quam vel Apellæa nequeas depingere pluma.
Pone sequebatur pullatis obsita pannis
Scissa comas, laniata genas, dirupta lacernam,
Cui lingua de pace sua sunt nomina læua.
Vt quæ perpetuis vexetur inaniter armis,
Donec facta Deo post longum enixa laborem
Verbigenam partu procerem det: vindice sceptro,
Regna tenebrarum qui compositosq; tyrannos
Tollere cœlestis diuina poëmata cedri
Destruat, afflictis reddens sua gaudia terris.
Comiter illa leuans dextra armipotente iacentem
Talibus alloquitur: quæ tanti causa doloris?
Pone modum lacrymis: non hæc sine numine Christi
Eueniunt: pugnare Deo desiste mouenti

Et cœlum & terras : hæc est fortuna micantis
Rursum Euangelij: simul vt cum præpete cornu
Incubuit terris, & totum personat orbem,
Leucothoenq; trahens cunctas illuminat oras
Depulsis tenebris: vi contra nititur omni
Perditus & secum perituros agmine multo
In sua vota trahens procures, vulgusq; prophanum,
Ille Erebi princeps, inamœni rector Auerni.
Tristius haud illo monstrum, nec atrocior vlla
Pestis & ira Deum nigranti se extulit orco.
Cui furia & cædes, funestaq; prælia cordi
Insidieq; doliq; & fuce perlita veri
Vana superstition: nil ille relinquit inausum
Marte furens: in mille dolos intentus, vt omnem
Sanctorum sobolem festino exterminet igni.
Eripiens lucemq; oculis animisq; salutem.
Hæc illi causa est, regnis committere regna,
Europamq; Asiamq; & fœdera sanguine fuso
Soluere & vnanimes in pugnam trudere fratres:
Atque odijs versare duces, munitaq; vastis
Oppida concutere excidijs miserosq; penates,
Deformare aulas, discors accendere bellum.
Nequicquam terras rabidè bacchatus in omnes
Cædibus atque strophis: nec enim sub luce ruentem
Abs ortu Auroram potis atra morarier vmbra.
At minus intacta lustrantem lampade gentes
Iustitiæ Solem, qui nocte erroris abacta
Suppeditat vitam, & lumen mortalibus agris

Per=

Perpetuum, ac stygijs pereuntes eripit undis.
Aëra nil, quæq; hac habitant regione nocentes
Spirituum turmas, nihil horum dira moratus
Organa, per terras vanum obijcientia fumum:
Desuper insultans sua perficit orsa, diemq;
Immittens telluri, oculis mortalia iustis
Despicit: alta parans virtuti præmia, dignas
Sed multas, ignes piceos & tartara pravis.
Cuncta putans iudex momentis integer æquis,
Iudicet ut patrijs totum post legibus orbem,
Atque homines quot sunt, quot erunt, quotq; antè fuere.
Tempus id accelerat, postremaq; sæcula mundi
Præcipitant: reget interea terrasq; polumq;
Ille bonus generis vestri sator atque redemptor.
Protegit ille suos, citima illi sunt quoque curæ.
Omnia censuræ cuius submittere iustæ
Æquo animo par est ardentia pectora Christum:
Poscentes veniam precibus reducemq; salutis
Authorem: auxilio electis, ast hostibus iræ.
Securis superæ, nec opino turbine cœli
Venturum exitio: rerum hæc iam summa propinquat
Ipsam etiam capit ire patrem, memoremq; malorum
Sollicitat vindicta Deum: nunc ultima tanti
Meta furoris adest: quo contra pacta fidemq;
Christicolam rupto violarunt fœdera gentem.
Quin age quo dubium præsentis pignore firmem,
Huc ades, & quæ sint Babylonis tetra superba
(Æmula namq; illi est princeps q; Colonia sepis.)

Cum

Cum peccata vide tum dignæ crimine plagæ,
Ducimur in montem tumidæ qui plurimus vrbi
Imminet, oppositas arces & strata viarum
Magnificasq; domus medio & labentia riuo
Flumina, subijciens oculis è vertice celfo.
Obstupuit varij confusus imagine spectri
Membra horrens, gelidus coit in præcordia sanguis,
Nam quid inaudito turbantur mœnia planctu?
Eloquar an sileam visu dictuq; nefanda?
Hem quàm fœda nouis subeunt spectacula diris,
Quo ferimur, quæ fata parant? quid operta tumescunt
Bella iterum dubio rumpuntur iura tumultu?
Impia perpetuam monstrant periuria noctem.
O quæ tempora, qui mores, quid denique restat?
Quis rerum status est æuo veniente futurus?
Si tamen abs istis æuum numerabitur annis
Secla prius redeant quam cum reduce aurea Christo.
Namq; recrudescit vix curatum benè vulnus
Lethiferum populis, & non sanabile rursus.
Proiecti medicatus: desperata supremis
(Cuncta nisi fallunt) extrema medela periclis.
Postquàm fas etenim abruptum pellacibus ausis,
Deq; salute hominum noua concertatio gliscit,
Perniciem alterutri minitans partí vel vtrique,
Iurata neq; curantur periuria dextræ,
Nec proceres dictis, sacrato aut fœdere vulgus
Vile manent: sed vt astragulis sic luditur ictis
Conditionibus, insequitur super impia cædes:

Obsecro

Obsecro quæ certæ restat confectio pacis?
Huic quid credatur quæ perniciosior armis?
Deplorata fides, incisus non coalescit
Nervus amicitiae, fugit concordia terris.
Perfida Christiadum temulenta cruore Quiritis.
(Masculus haud etenim posthac unquam esto Quirinus,
Sis Leno licet, & mango & catamitus adulter)
Dira lupa in villis capri prætexta bidentem,
Dira lupa in fuci mentita coloribus agnum
Cornibus assimilis, sed vox tua lingua Draconis.
O sterilis veri, Pænos imitata bilingues,
Vana nisi iam horum superas mendacia noxis
Laomedontææ renouans periuria Troia.
Quæso tuis toties ruptis committere pactis
Sanguinolenta magis quæ sunt & noxia bello
Quis dehinc se audebit? quod pondus habere putentur
Fœdera fœdifragæ? quem non exempla mouebunt
Edita non semel at iam sæpius horrida fando
Fidere non ulli rasorum de grege porco:
Quos adigunt cæcos in crimen Erynnies omne,
Qui quid agant spectent, qua sint ab origine, cuius
Calones fidei infidæ funebribus olli
Flagitijs docuere suis: concredat ijs se
Cui sua pernicies communis & acceleranda est.
Ultima quadrifidæ decurrit imaginis ætas,
Monstrat quam Assyrio distinguens regna Prophetes.
Qua septemcipiti dabitur cum gente Deorum
Belligerare feræ, pecus & deglubere sanctum,
G Nec

Nec capit infelix remedi discordia quicquam.
Postremum ante diem, portisque decemplicis æthræ
Ignita cruciger, quam pareat Iride Iudex.
Quandoquidē Antilochū, quiq; hūc produxit Auernum,
Haud licitum est Christo compage adiungier vlla,
Nec mage disparilis soboles vtriusque cohæret,
Terrea Dalmatici chalybis quàm gleba metallo.
Et dubitamus adhuc bellis impendere curam?
Nulla relinquatur quum conciliatio, Marte
Quæ nisi sit damnosa magis, licet illud ab vno
Posteritas discat documento si qua futura est.
Christiadæ bello infracti & virtute magistra,
Senserat inuictos validis quos hostis in armis
Primorum manus & rectis assueta iuuentus
Ingenij simplex, fraudisq; ignara malignæ
Fœderis in specie iurati & pace sequestra
Coniugijsq; nouis aucta, nil tale timentes
Quo sese hospitia inuertant hostilia, pridem
Ambiguus suspecta dolis à numine læso.
Regalemq; fidem, sed perfida pacta sequentes
Credere queis minus infecta anteriora docebant.
Excepti illicijs & funereis hymenæis
Festiuisq; choris inculto infamibus astu,
Sicut inescati secreta ad retia pisces
Ante aras, ante ora Deūm, medijsq; cadebant
Lusibus oppressi, ludo exceptiq; cruento
Aspera qui seris adducet seria lustris,
Nam se ludibrio Deus haud permittet haberi,

Inq;

Inq̄ suum authorem periuria cæca redibunt.
Quos vis non armis poterat superare resumptis,
Pacis vt in specie fraus perderet indiga fuci,
Nescia iusticiæ, magnorum tela malorum,
Tragula clam iacitur, tenduntur in vrbe per ampla
Retia, perpetuo vallo murisq̄ per altis
Communita satis : proceres Hymen accit amanter
In casses, tacita & laqueos indagine structos.
Ac Venus inueniens nassam, qua perdere detur
Fascina prædantem, piscaria ceu tegit hamum,
Cannaq̄ blanditur, dum auceps intricat alaudas,
Grande scelus thalamis germanæ infamibus abdit,
Gaudiaq̄ & lectos geniales cæde recenti
Hospitibus sponsisq̄ nouis facit exitiosos.
Non consanguineis, mixtisq̄ affinibus, vlli
Non parcens decori : nuptæq̄ sororis amorum,
Et secura quater violati fœderis, audet
Scindere quod reliquum sperari quibat honesti,
Quos super attritos habuit constructio nervos.
I nunc pollicitis credas vllius inuncti.
Talia Belidæ quondam connubia fratres,
Sic Ixionides celebrant conuiuia, vel si
Vera loqui fas est, commortua fercula: quique
Ætnei Siculis Cyclopes montibus errant.
Scilicet haud via nequitijs alia vlla patebat,
Qua fieret planum his dein quanta fides sit habenda,
Connubij quàm pompa alti componere mortes,
Et quæ naturæ sunt lege verenda, vel ipsis
Armentis quibusq̄ feris, quæ fœdus & hostes

Inter acerbatos post bella ferire solebant,
Cædibus & stupris atq; indelebile semper
Deturpare nota socij pia vincula cæstus:
Ac simul optatæ gluten sepelire quietis.
Nulla satellitibus pietas ratioq; lupanar
Quos Latiale suæ Veneris dementat amore,
Bello prædones, inimica in pace latrones,
Periuri Autolyçi, sine mente fideq; tyranni.
I nunc & verbis vllijs fide cuculli,
Istorumq; ducum mens relligiosa deinceps,
Et conuenta suum momentum habitura putentur.
Qui violare Deum, atq; suos sub imagine iuris
Iurandi, hospitijq; sacri lectiq; iugalis
Fas putat esse, nefas tandem quid rebitur ille?
Talia non duris sunt diuersoria Moschis,
Syluestres apud & Lappos, est tæda iugalis
Sanctior: exuperant humanas crimina fraudes,
Ista prius lapsum nunquam vsurpata per æuum.
Fallor Idumæi satrapæ num temporis hocce
Patratum articulo, facinus cumulando reducit
Æmula posteritas, telluris mobile pondus.
Regales epulas ille inter & orgia Bacchi
Dum salit ad mollem citharam meretricula poscens
Ioannis caput in discos afferre iubebat.
Magnum equidem, at solum, at iurati nomine doni.
His verò contra dictum iurataq; pacta
Hospitio acceptos ad amicum hymenæa vocatos
Indicta & nulla causa, consanguineorum.

Millia

Millia tot, florem ætatis strauisse licebit?
 Ductores populi, pubesq; asperrima bello,
 Et pia nobilitas ad festa infesta vocati
 Inachidumq; thoros patrueli cæde madentes
 Morte cadunt propera, damnis vrgentur acerbis
 Credulitate sua, vel quod sic fata ferebant.
 Incautos, qui non vatis ventura videntis,
 Quem Rhodanus Rhenusq; colit, præcepta (cauerent
 Artificum scelus & periuros ante Simonas
 Multiplicis technæ, portentaq; subdola blandis
 Commentis, & pace magis quam noxia bello)
 Audierant, læua mente in sua busta profecti.
 Simplicitate rudes ex se virtutis auitæ
 More, sed haud similem dimensi æqualiter hostem.
 Maectantur passim trepidi per longa viarum
 Compita, perq; domos & fusa cubilia largo
 Sanguine, non vlli didicit comparcere grassans
 Perfidia impietas, sanctos delere parata
 Seditio graui: dirus tremor iraq; mentes
 Præcipitat: ciues fissis se legibus inter
 Arma ferunt: toto trux sæuit in æquore Mauors,
 Improbraq; Eumenidum manus, & discordia litis
 Percupida, vltricesq; iræ, & malesuada tyrannis.
 Vanaq; corruptæ stridens suspicio mentis,
 Atq; tenebrio nocturnis obscurior alis,
 Fædifragæq; inimiciæ fallax & Erynnis,
 Ac limphata phrenesis, & exitialia fraudis
 Consilia, & tortis impexum crinibus angues

Disidium, *A*monias raptans in bella Sarissas,
Hybris & in guinibus Lybicos subiuncta leones.
Efferaq; armisonum quatiens Bellona flagellum.
Horrificæ visu species, lethumq; dolorq;
Et consanguineus lethi furor, & mala mentis
Flagitia, ancipitiq; armatum falce duellum
Increpuere truci Mauortia classica signo:
Buccina luctisonum cantum Plutonia fundit:
Ilicet allatrat rictu irrequieta trifauci
Cerberus, & stygijs vlulatus asperat auras.
Ipse suos mendax homicida & spiritus ardens
Detrimenta hominum, pestemq; salutis abortæ
Ante alios scelere & furys immanior, acre
Bellicum Auernali canit agmine, deinde recluso
Distribuens armamento præacuta lanistis
Ferramenta suis, preciumq; laboris opimas
Ostentans prædas, hortatur & agmina ducat
Obscœnam in rabiem: subit obruncatio feruens
Per fora perq; domos effractas, angulus omnis
Hostili excutitur quæsitu, summaq; Parcæ
Sanctis fila legunt, tota iugulantur in vrbe.
Ceu pecoris leo vel lupo expugnator opimi
Sectores rumpunt aditus, loca gurgite complent,
Securi fortuna nefas quæcunque sequatur.
Ignaros rerum feriunt stupidosq; trucidant.
Fit via vi, cædes ineunt, neque parcitur vlli
Quem inuet in tenebris diuinam querere lucem
Puri Euangelij & tangat reuerentia Diuûm,
Nec

Nec fuga nec tuti quenquam iuuere receptus :
Cuncta peragrat amor spolijs, pugnaeq; cupido :
Sopiti lectis diuturna nocte premuntur :
Et vigiles idem furor occupat : vndique vicis
Ac domibus ponunt, fractoq; in limine vitam .
Vndiq; prorumpit strepitus, rudibusq; querelis
Dissensu vario loca circum cuncta replentur .
Quale iubatorum rugitibus ira leonum
Fulmineis tonat, & furuis auditur ab antris,
Aut desiderium quoties absentis amicæ
Aut ieiuna fames præcordia sicca retentat .
Rimatur globus ille domos, hic templa Deorum
Ille penus tectasq; caua testudine cryptas
Cellarumq; foros adopertaq; claustra penatum,
Et quacunque vndam spes prædatoria ducit .
Obuia prosternens frameis, pugiliq; machæra .
Hic triuio insistit, biuijsq; in faucibus Urbis,
Ac vbiunque odor est prædæ ditisq; rapinæ,
Latro volat, legit anfractas, omnesq; pererrat
Insidijs aditus, quo tandem fallere possit,
Quæsitq; diu incautorum cæde potiri .
Confodiunt pavidos, spolijs onerantur opimis .
Obsedere vias alij, seges horrida telis
Excipiens fugitiuum agmen ramale colurno,
Atque trabace metens circum aduersaria ferro .
Errantes alij tectis ingentibus alto
Deturbant, feriuntq; globis & puluere cannae
Ferratae : stygij inuentum capitale tyranni .

Pars

Pars rapit ad fluuios, & aquosam spargit in vluam
Semineces, merguntq; luto, sitis omnibus vna
Christicolæ populi sanctum exhaurire cruorem.
Talis erat vultus Constantinopolis olim,
Quam Geticus captam deuastans Turca furenti
In Diomedæum mucrone redegit equile.
Heu vbi pacta fides, iurandi vbi sanctio iuris?
Quis diuum aut hominum, aut sancti respectus honesti?
Ecquæ naturæ aut positarum attentio legum
Amplius? ô reditum matura Christe supremum:
Aut homines tandem, si sic perrexerit orbis,
Euadent puros putos Acherontis in angues,
Terraq; criminibus furialem æquabit Auernum.
Nulla mali species aberat, mortisq; prophanæ.
Pars fugere, illa sequi, pars brachia tendere frustra
Amplexosq; tenere pedes, ac oscula ferre.
Impediunt, celerantq; fugas, gemit ictibus aër,
Hi latebras quærunt, illi producta latebris
Agmina concidunt gladijs & stipite duro.
Matres atque viri, iuuenes ante ora parentum,
Coniugis in gremio coniunx, cum fratre sorores,
Luctificas alto ducentes pectore voces
Intereunt, trepidèq; suos amplexa tenellos,
Atque duces, ac regna querens immania nutrix.
Mille modis lethi, letho sternuntur eodem,
Quos primos, quos postremos romphæa peremit.
Stabant orantes manibus, vel supplice nixu,
Tendentesq; manus, implorantesque Deorum
Numina:

Numina: sed surdus nunc hos nunc diuidit illos
Miles, ut excisa victor grassatus in vrbe.
Non curat numerum lupus, & sua damna tyrannus.
Illi per præceps turri iaciuntur ab alta,
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti
Spargentes solio cerebrum: pars arbore pendet
Vel ceruis, alios fluido rapit æquore vortex.
Pugio per latus & caua tempora ferreus errat.
Spicula concipiunt artus, hastilibus ille
Induit insontes costas: pars verberare fustis
Tunditur, huic caput ense volat, mucronibus illi
Cernices præbent, calido gula pallida cultro
Conditur his, fractique pedes aut brachia manca.
Fraxineis sudibus vel claua rupta trinodi,
Malleus huic aures quatit, illum ærata bipennis
Diffidit, hisce sparo iecur exhauritur acerno.
Sunt quibus affixa est mananti lingua palato
Gutturæque arboreis super occiput acta phalangis.
Crura huic fossa veru titubant, at saucius ille
Ad femur inclamat, bifida cadit iste securi,
Succisos dolet hic humeros, thoracæque vulsum
Truncatasque manus, aut ilia fixa veruto.
Icta bipartita temerè sparguntur ab aluo
Viscera, percussis arteria palpitat vlnis.
Intima panduntur rigidis vitalia cæstris,
Apparentque specus terebrati cordis hiantes.
Pars & inaccessa tectorum culmine nutans
Grandibus aut tignis, curuique crepidine saxi

H

Nixa

Nixa super vires, mortis timor addidit alas,
Deijcitur calidæ reboanti fulmine glandis,
Aut funda aut saxo, aut pennatis ic̄ta sagittis,
Figit vt altiuolam lethalis arundo volucrem.
Sursum cuncta infesta patent infesta deorsum,
Inq̄ imo inq̄ alto, quauis regione cruenta
Occurrunt species, & lurida mortis imago.
Omnes per mortes animæ nit tale merentes
Exturbantur, humo trepidant morientia pingui
Corpora: circum oculos error: suspiria quæerunt
Aërios haustus, pulmonibus acta reclusis:
Vitaq̄ cum gemitu sociam massam ægra relinquit.
Auditur crepitus, dolor vndiq̄ & vndiq̄ voces
Cedentum fremitus, lacrymæ, planctusq̄ cadentum.
Sunt quibus est animo melior sententia, ductis
Obuiam abire sp̄athis, vlticem & stringere sicam,
Quando extrema vident, nec spes datur vlla receptus.
Stat conferre manus, & honesto quicquid iniquum est
Marte pati, neque fœmineo procumbere quæstu.
In mediam permixti vndam, tamen ante futuri
Hostibus exitio, stricto mucrone feruntur,
Mutuaq̄ impavidam properant per vulnera mortem.
Densa cohors iunctis sed circumfunditur hastis
Inuadens medios, interfusosq̄ coërcens.
Vndiq̄ tormentis iaculoq̄ volante trucidant
Audaces animi, neq̄ versa fronte ruentes.
Quàm multa arboreis de frondibus autumnati
Iacta cadunt vento folia, aut de flumine vasto

Ad r̄

Ad ripas glomerantur aquae, fractiq; recurrunt
Aggeribus fluctus, & crebra regurgitat vnda.
Quam multa hybernis nix candida depluit aruis,
Et crepitans grando tectis, & cana pruina.
Infantes, pueri, matres, iuuenesq;, viriq;
Grandæuiq; senes, ignaraq; virgo mariti,
Et viduæ imbelles, & anus rugosior annis
Plurimaq; in medio sine certo nomine plebes,
Qua non vlla Dei & parilis reuerentior æqui,
Tolluntur pariter, nex & cruor omnibus idem.
Sed neque conscriptos patres, vigilemq; senatum
Alta Palatinis in sedibus occulit vsquam
Curia, tum Astræe quin lumina læsa tegentis
Ante pedes caderent, inscriptaq; postibus aureis
Iura magistratus augusti sanguine sparso
Delerentur: honos, prisca obseruantia legum
Vnà abeunt: viduum pallet liuore tribunal.
Parcitur haud etiam Musis lepidisq; Poëtis,
Quique Machaonias artes & sydera callent
Aëriasque vices, neque doctis multa patronis.
Sanguinis insonti restagnant pulpitarium,
Desertæque scholæ, facilisque exedria linguæ.
Accedit nauatæ operæ turpissima merces.
Spes opulentorum, non illo parta labore,
Exportantur opes, prædis ditatur abactis,
Nec sua turgenti condit patrimonia zona
Rem magnam, pretium diri lugubre furoris
Atque Tholosano potitur sicarius auro.

H 2

Quali

Quali tartareis furijs agitatus Iudas
 Verbigenam prodens, rupta diffunditur aluo.
 At quæ mastiges nequeunt auellere, sæctor
 Distribuit meritis non hæc stipendia fiscus
 Prædia, marmoreasq; domos, quibus ante modestam
 Christiadum populus vitam frugaliter egit.
 Quæsi parcens, inopis popularis ad usum.
 Fœdior hæc facies, quàm si Mahometicus hostis
 Ingruat & populetur agros Scythicoq; subactos
 Seruitio premat, ac victis dominetur Iberis,
 Hesperiumq; solo æquatam subuertat ab imo.
 Ingeminat rabies, nulla est miserantis imago.
 Nec vos ô pupi vagitus, blandaq; matrum
 Vbera, non risus media iam in morte natantum
 Hostibus oblatus textit: quin fœda cloacis
 Illuies vos & tumulent immunda sepulcra.
 Quæis olim Tyberina lupa, haud Romana pepercit.
 Talia non versis Carthaginis arcibus aspri
 Troiugenæ, excisa neq; patrauere Corintho:
 Cynthius auertit byuges, germanaq; Phœbe,
 Astra latebrosam subtendunt abdita noctem,
 Et ferruginea cælum prætexitur vmbra.
 Affulsere prius non visi impunè Cometæ
 Sanguinei q; rubent læuum mortalibus ægris,
 Crinitoq; reas contristant fulgure terras.
 Concutitur tellus, alieno tempore spinæ
 Perfusi q; rubi florescunt rore cruento.
 In spinas tribulosq; tuos insana tyrannis.

Prodigij

Prodigij euentus tales tua facta reposcunt,
 Ad quorum auditum totus contabuit orbis
 Improbamq; angelicam timuerunt secula concham.
 Vociferant matres, fletumq; ad sidera tunsō
 Pectore tollentes natorum funera lugent,
 Legitimumq; virum, fratremq; senemq; parentem.
 Qualis erat vultus cum Bethlehemitide terra
 Herodes sceptro metuens, non ire nefastis
 Cædibus in cunas mellitorum puerorum
 Erubuit: formosa Rachel sua pignora plangens
 Lamentis nemorum montes & sidera complet.
 Tristius exoritur vario certamine murmur,
 Omnia miscentur ploratu, vdisq; querelis,
 Fæmineisq; caue resonant plangoribus ædes.
 It clamor cælo, ferit arduus æthera questus,
 Sæctorum crepitus, stridor, sarcasmus inhorret.
 Vocesq; & lacrymæ merita non morte cadentum.
 Per conuexa meant, superumq; feruntur ad aures.
 Responant ripæ & colles, tonat vsque fragore
 Aër terribili, patuli sonuere recessus
 Sylvarum, auditiq; canes vlulare per urbem,
 Immugire solum & conuallibus antra recuruis.
 Clamorem Herodes contra, spumansque caterua
 Cede noua, Eumenidum furijs agitata sinistris,
 Horrificum tollunt, absit miseratio cultris,
 Gens inimica orbi pereat, conscindite ferro
 Ritibus infestam patrijs & religioni
 Cum Ioue Tarpeio quam iure tenemus, auitæ.

Secla recens, quondam priscis incognita saeculis
Turbans sacra recepta Deum, decora alta parentum
Perdatur tristi exitio (haec sunt praemia captis)
Coniuge cum natisq, clientibus atq, ministris.
Mas, pueri, mulier, pubes, gracilesq, puellae,
Conditio, ordo, genus, nullo discrimine sunt.
Bella petant, pacis spe ludicra foedera pangant,
Hac mercede placet: cessatum si quid, abunde
Iam compensetur cumulo: sic intonat ille
Prosequitur strepitusq, virum, clangorq, tubarum.
Terribilem lituus sonitum vomit aere canoro.
Applaudunt pennis stridenti & murmure mistae
Vulturibus striges immundis, & bubo sinister.
Naiades ad ripas & Oreades aggere collis
Palantes varijs complebant vocibus auras.
Turbatae Dryades, Satyri, Fauniq, bicornes
Flebile lucorum riguis sonuere salictis.
Confuso tremulum retonat caelum omne tumultu.
Talibus a stimuli furit acrius excita punctis
Thesiphone, pullamq, luem, horribilemque ruinam
Accumulans tumulis, ingens occisio paret.
Impastus ceu rupta lupus per ouilia fertur.
Urget enim imperiosa fames, turbatque voratque
Molle pecus, confracta tremunt sub dentibus ossa.
Sic homicida sui populus ruit, impete crudo
In consanguineas animas, patriaeque modestos
Eiusdem ciues, non hospes ab hospite liber,
A seruis dominus: non tutus tutor alumno,

Non

Non aegro medicus, neque præceptoris honori
Discipulus, nec heris alia corruptus ab aura
Mercenarius, & prædes ad feuda vocati.
Præstruit in vulnus vir coniugis, illa mariti,
Nec parcat nurui socrus, generoque patris qui
Sit socer in numero: fratri Mauortia cornus
Figitur, accelerant prognati fata parentum,
Fata propinquorum & iunctum caput ære licentur.
Hoc est delitias facere, agnatosque beare.
Splendida regali bellaria ponere mensa,
Dulcia deceptis epidipnata sternere amicis.
Voluuntur madidis effuso sanguine, vicis
Obrata missilibus, nec humata cadauera passim
Imbre velut pluuio turpata vligine putri,
Terra natat, mutant vndarum infecta virorem
Flumina, corporibus submersis decolor amnis
Milia multa virum tremulo rapit agmine, fluctus
Intumescere, pioque exundat ripa liquore.
Non aliter quam cum proscriberet vrbe Triumuir
Romana proceres, intestinoque labarent
Funere, patritijs Capitolia stragibus vda
Ac patrie patrem quererentur rostra peremptum,
Cum quo Romulidum libertas & decus omne
Concidit, in vacuo posuere sedilia diræ.
Has inter turbas medio flagrante tumultu
Ecce ferebatur tensis generosa virago
Crinibus, ad superos manantia lumina torquens
Marmoreas arcent nam vincla tenacia palmas:

Continuus

Continuus gemitus de pectore ducitur imo,
Hanc meruit pietas mercedem nescia probri.
Vestibus exuta, nullo prohibente pudore
(Nil pudet heu mæchos, certantque illudere nudæ
Insectis tener insultans ceu verbero captis)
Turgidus apparet venter, stirps vna nepotum
Imprægnata thoro domini, donoque iugali
Parturiens infit: Moriar benè iuncta marito.
(Quem videt ante pedes lapsantem in sanguine multo
Hostili atque suo) tantum hanc deponere molem
Quæ viuit, gestitque vias discludere, ne ne
Ante suæ immerito pereat primordia lucis,
Hem sinitote: vel excisam, mora si nimis hæc est
Longa, educite: post me fiat quicquid agendum est,
Atque volent Superi pietas quibus est mea cura.
Talibus ingeminans cælos, patremque recentum
Spirituum inclamat: clamantis guttura pilo
Spemque vteri fodiunt, Hecates per inania lustra
Ipete Lucinam: tibi in ista molliter alga
Esto puerperium: cæno moribunda profundo
Mergitur: heu taciti spectacula ferrea cæli,
Non tamen absque vice extremis abitura diebus.
An cadit in pueros tantum scelus? an sua quisquam
Viscera adesse potest? sibi sacrificaque bipenni
Instar Penthidis præcidere crura Lycurgi?
Eneruare suas interno vulnere vires?
Num genus hoc Phrygium Gallorum mète carentum?
Vesanum captumque deæ Berechintidis æstro
Excindit

Excindit sibi quod robusta virilia, pugnam
Ciuilemque diu per mutua vulnera miscens,
Incurfus ad bellaces effœminat artus.
Hoc reputans ritu placari posse cruento
Turrigeram, sibi quo virtutem emasculat omnem,
More Palæstini damnato iure Baalis,
Externos & ad aggressus euiscerat vrbes:
Dans facilem peregrinis in sua regna meatum.
Parte alia heroum prælustri stemmate cretus,
Ingenij pius, effrenis moderatior iræ
Humanos cautè solers expendere casus,
Et tolerare simul: superat patientia sortem,
Quem non vlla dies, aut alea fortibus ausis
Disimilem arguerit veræ & probitatis egentem,
Cum senio curamque gerens, animumque virilem,
Christiadum ductor, vitæ integer, omnibus ante
Inuictus pugnis, dum plana manu geritur res,
Tutari doctus patriam, cœtusque piorum
Consilijs paribusque armis & numine dextro,
Certus pro pietate mori, vel fœdera iusto
Mercari bello: quibus irretitus iniquis
Proditione perit subita, lectoque recumbens
Saucius insidijs Italis exceptus & astu
Pontificum infido, custodum (ô pacta fidesque
O præclaræ artes, ô regia dona) suorum
Obruitur cuneis, nequicquam hominesque deosque
Implorans, dextramque datam, sancitaque iure
Fœdera iurando, cum relligione vetusta.

I

Quod

Quod genus hoc pacis? quæ ne hunc tam barbara morē
Admittit regio? sunt hæc connubia nostro
Sanguine deuota? hoc dotabere regia virgo?
Quid potuit tantum pietas committere? quid nos
Nec regno indecores, & pectora fida Iehouæ.
Pars aliqua haud inuisa Deo, doctisq; bonisq;
Promerueret, sacrum Domini dum pascimus agmen.
Quo nobis tandem commisso haud esse licebit
Nomine Christicolis non tantum, rebus at ipsis?
Progenies superum, cœli quibus annuit arcem
Astripotens, scorti ob turpem mercabilis iram
Prodimur? & raptis iterum concurritur armis?
Hæc promissa fides? iurandi hæc formula iuris?
Hic pietatis honos? ita ius in sceptrâ reponunt?
Nupera iuratis sic amnistia coletur?
Sic stat amicitia nunquam violabile nomen?
Huius enim vitæ est animus contemptor, alius
Quem spes certa tenet dudum melioris, & istum
Sanguine qui bene credat emi, quem fertis honorem
Martyrij eximium: nostris vnquam addere canis
Quid queat vberius paucorum vsura dierum?
Respectus sed enim patriæ, & quæ digna recurret
In caput aucthorum tam detestabilis orsi
Cladibus, vt metus est, communibus oblita pestis,
Debebant placidos mage sensibus indere motus.
Si non integritas, nostræq; innoxia sectæ
Cura, bonis patriæ semper districta tuendis,
Istaque canicies meritis quam grandior annis

Et

Et socij thalami, tantæq; iniuria cedis,
Commoda non vulgi, & regni status inde ruentis,
Non ius hospitij, neque iunctæ in fœdera dextræ,
Non periuria, nec lesi grauis ira Tonantis
Propositum mouet infami deducere cœpto,
Quale nec Arctos vnquàm commentus ad oras
Est Schyta, nec gelido gens subteriecta trioni
Non Afer, & pressi ferus inquisitor Iberi,
Quale nec Axenis quisquam meditatur in actis
Accola Moschorum, nō Thrax, neq; Sarmata, nec quos
Caucasæ rupes, vel Phasidis ostia Colchi,
Aspicit occidua vel fessus lampade Titan.
Sed iuuat à nostra funestam clade ruinam
Attrahere immeritæ patriæ, populoq; fideli,
Incestare aulam, misero & confundere luctu
Regia sceptræ, sacrosq; lares, tædasq; iugales,
Et vix compositam tanto molimine pacem:
Impuras scelerare manus in sanguine nostro:
At sperate Deum memorem illaudabilis ausu
Ordine qui iusto iniustos vlciscitur actus.
Atq; vicem inflexa meritam ratione reponit
Pupillam quotquot Domini, violando fideles
Attingunt, celeresq; cient sibi crimine plagas.
Ad quem pura anima hæc atq; istius inscia facti
Morte redemptoris Christi de morte redempta
Dissociata senis compagine corporis, alium
Ante thronum poscens vindictam insontis Abeli
Nostrorum ascendam non vnquam indignus auorum:

Hanc manibus commendo tuis, iustissime rerum,
Sanguine verbigenæ nati, meritisq; piatam.
Suscipe quod dederas, vita ut tibi seruij omnis,
Sic obitus precium sit, & amplos addat honores.
Ipsa, fimo veluti, sola pulchræ Abramidis isto
Rore repubescant, fructusq; sequantur opimi.
Nec tamen indecorem vulgari in morte tribunalum
Christe tuum linquas: non hoc sine nomine lethum
Per gentes eat, aut famam patiatur inulti.
Talia iactantem multis & plura parantem
Testatumq; graues offensi numinis iras
Interimunt armata phalanx, decus orbis & ampli
Tutorem regni ac regis: iacet optimus heros,
Qui fuit in terris, & seruantissimus æqui.
Fallimur à primis qui frugi haud vllius annis
Esse volunt dominos, nulloq; cauere scelesto,
Plurima sed Veneri atq; gulæ dare tempora spurcæ,
Ac odijs pessum & bellis ciuilibus ire
A latere imposturis, accusandoque tollunt
Consilij fidi autores, rerumq; parentes.
Ruffini an Stiliconis habent Gildonis? an atri
Nescio quid: reges si mens non læua cauete
Cauisses vtinam hos Galeaci Iane sequestres,
Sfortia cui patruus lucem imperiumq; malignis
Scribitur artibus his vario eripuisse paratu:
Exitu at infausto, qualem Saturnia tellus
Luget adhuc, vetus externarum præda celocum.
Vitasses vtinam date rex Eduarde Britannis,
Cuius

Cuius semper honos & viuax fama virebunt.
Quippe magis tanto, quanto vicinia circum
Deterior: Pharij superans Busiridis aras
Hospitum inhumana quantumuis cæde calentes.
Atq; illum Siculo qui torrens igne magistrum,
Ære Perillæi docuit mugire iuenci.
Dicite, cum tutor regni sustollitur, ecquid
Orphana præsidij quod patria speret habebit?
Siue hæc siue alia his non inferiora coquantur:
Scilicet hoc restabat, vt hic te turbo procellæ
Fortunate senex omni memorabilis æuo,
Nil quamuis meritum nisi debita præmia recto,
Ereptum terræ cælestibus adderet astris.
Raptus es in casum, tecum insidiosa iocata est
Haud tali expectanda ioco fortuna locoq;.
Hoc operæ præcium tantis infame tulisti
Officijs: nec te labentem ingrata patronum
Regia protexit: neq; commendata toparchæ
Tutela, & pietas vni deuota Iehouæ.
Tu nos tot scelerum polluta in Valle relinquis:
Incertos dubiæ vicis, & rerum omnium egenos.
Pro quibus audebas caput obiectare periclis
Egregium, hostiles aduersum strenuus iras
Aris pro Dominiq; focis expendere vitam.
Quicquid erit: nimirum obita tu morte beatus.
Post tempestates & tot discrimina ponti,
Conflictusq; graues, varios sortisq; rotatus
Omnibus his erepte malis, defuncte periclis

Iam cœlo fruëris, iam gemmea templa reuisis.
Despiciens inimicitias, stolidumq; laborem
Seuorum cacularum, in publica damna satorum.
Hic tibi parta quies & fulgens vertice sertum
Martyrij, & lauri victrices, palmaq; semper
Nobilis, ac patriæ solidi stellantis honores,
Teli extra iactum, veterisq; malæa colubri.
Exuuijs insultet atrox iniuria sparsis.
Extrahat vrinator aquis quod merserat ante
Corpus, vt illusum bifido laceretur ab vnco.
Indeploratum cursor caput afferat hosti,
Mutilus elato figatur robore truncus,
Indefletus humo, sed Abramidi funus acerbum.
Proscribantur opes, nati, gentisq; decora,
Indemnata Deo, fatuis damnata Sophistis.
Hæc nihil ad te qui fruëris melioribus, & mox
Fœnore cum magno iustis hæredibus illa
Debita reddentur: tibi quid non debeat orbis?
Cuius opem sensit: diuturna carentia magno
Constabit, desideriumq; augebitur annis
Ingens venturis: te flebunt Seres & Indi,
Et pulchro aspectu vigilique orbata lucerna
Post obitus Europa tuos, damnisq; relicta.
Si quæ longa dies & sæcula grata supersunt,
Simplicitas, virtus, candor pietatis honestæ,
Ac sibi in angustis constans industria rebus,
Robur & inuictum, nullis vnquam excidet armis.
Semper honos, laudesq; tuæ, nomenque coruscum
Semper

Semper fama virens, heroica facta vigeant.
Quæ non Scipiadae, non aduersarius illis
Annibal, aut Macedo rex, aut quos incluta quondam
Hellas in arma Duces tulit, vllis laudibus æquent,
Donec lecta Deum gens Israël adoxum
Dogma colet, regnumque potens retinebit Iesus,
Dux illustris eris, doctis celebrabere Musis.
Isacidum crotalis, & eburno pectine Phœbi.
Ac bona posteritas, si quæ superabit, ineptum
Detestata nefas, præconia deferet ampla.
Illaudate tuis ductor, laudabilis omni
Abramidum generi, toto quod spargitur orbe.
Has damus inferias merito maiora, sed hæc ex
Tempore condidimus: post si vernauerit annus
Aureus esto, tibiq; sacrum statuatur Idumes
Solenne in medio: famæ tua membra feretro
Rectius, in oculis quàm auri, tumbæque quiescent
Marmorea, desit pollinctor & atypa plorans
Præfica nugatrix: non deerunt nablia vatum.
Naulaq; Apollineis fidibus contenta, nec Hebron
Organa, Christigenæ bona non psalteria cœtus,
Et cohonestatura tuas cum perpete versu
Tibia Pieridum exequias, dum torrida signa
Zodiaci obliqui longa vertigine obibit
Per sua circumagens segmenta hyperionus annum.
Forsitan & post tempus erit, quando ista tyrannis
Docta malis proprijs Phryges vt piscator & ictus,
Intactum magno te optauerit ære redemptum,

(Si

(Si quo facta queant fieri infecta) & spolia ista
Oderit, atq; diem nigro carbone notandum,
Et fastis omni delendum funditus ævo.
Tempore sic isto Autumnus quo diues aristis
Excipit æstatem, merito & pietate decora
Mauritium præfectum equitum, sanæq; cohortis
Quondam Thebana, præerat cui, cum legione
Iusserat Antæus maectari Maximianus,
Quod nollent misso, dederant cui nomen Iesu,
Sacra parare Dys, quos ille colebat auitis.
Non impunè diu gaudet, Rhamnusia præsto
Clamitat ante fores: Elephas, Tigris, Leo fortis
Quamlibet opprimitur, caue multos, qui modo paucos
Despicias ex alto: sibi fidentem Deus odit.
Dixit & haud mora quin mox seditione rebelli
Teutona quæ tulerant nuper perizoniâ sanctos
In iugulum redeant, natosq; caputq; iubentis
Detur & insigne imperij meliora professis.
Christe Deus cuius meritis Ecclesia viuit,
Non tamen hæc viduare paras, cum in cardine summo
Seclorum, vires quo virtutesq; senescunt,
Pectora magnanimùm herois æquanda virorum,
Tam rara eximios proceres virtute dedisti.
Sanguine de quorum ceu secta renascitur hydra
Suffice progeniem patrio cognomine dignam.
Exoriare aliquis robustis ossibus ultor,
Mox animaduertens quæ sunt patrata nefande,
Iustitiæ norma qui conduplicata rependat

Terri

Terrifico sceleri, quo totus palluit æther,
Succussere cauis terras ostenta cauernis,
Dissilière iuga, ac penitus conterrita monstros
Mœsta modum supra, nec consolabile mœrens
Sionis extimuit libitinam à cæde nepotum,
Et prouisa diu supremæ funera noctis,
Iratumque Deum, neque iam tractabile numen
Amplius, ob scelerum nutantis pondera mundi.
Nimirum id metuens sibi flagitiosa libido
Ardet ab euulsa radice propaginis omnem
Tollere spem simul, hinc vna generosque nurusque
Et grauidas aluos, ac quidquid stirpis habetur.
In promptu reliquum, bis acuto surculat ense.
Perduntur circum proceres & lecta iuuentus
Nobilitatis opes ac flos non impiger armis,
Et fidi comites pacis bellique ministri.
Circumfusi omnes contis hostilibus ante
Quàm coëant vires, & aperto Marte resistat
Rebus in aduersis dudum imperterrita Virtus.
Quid faciant, quævi conantes plurima frustra
Mœnibus inclusi celsis, captique periculo
Reliquias furie eripiant? hinc cominus atque hinc
Conglomerata seges rigidis petit obsita telis.
Vt lupus in casses foueamque illapsus aquosam,
Aut circumuenti tenebroso indagine cerui
Cornibus & pedibus temerè venabula vitant.
Sic inuicta prius, nec iniquis cognita pugnis

K

Pectora

Pectora dant plagæ, & passim obtruncantur inulti,
(Non impune tamen, si quid pia numina possunt)
Turba parata mori, nec inani obsistere parma
Incassum, sed opem implorans, oculosq; Deorum,
Imperturbatas animas deponit olympo.

Talem fama canit Iudæa per oppida sæuum
Antiochum, Herodemque ferum, Herodisq; nepotes
In Domini sæuisse gregem & pecuaria Christi,
Exemplis quorum sunt hæc malefacta luenda.

Phtiriasi perière truces plerunq; tyranni:
At non cæde virûm rabies saturata quiescit,
Sed veluti lepores iam casso luce Leoni
Crabrones vt equis, Numyda morientibus vrsi,
Insultant vita functis, nec honore sepulchri
Dignantur, neque humo mandant de more vetusto
Vel Læstrigonidum, verum pallentia letho
Corpora dilacerant inhonesto vulnere, membra
Cuncta per ac artus temerè sæuitur in omnes.
Exuuiasq; pias populataque tempora raptis
Auribus, & laniata modis immanibus ora
Naris & informes præciso lumine vultus.
Pars caput abs humeris vulsum, pars fortia nuper
Brachia, victricesque manus in Marte secundo
Distulerant: alij ingentes sine nomine truncos
Harpagibus fixos per longa angusta viarum
Ad iuga furcarum raptant: tibi dira trophæum
Impietas, sed magno emptum, exitijsque luendum.

Membra

Membra beatorum Iesu exemplo cruce pendent
 Indemnatorum turba indefleta piorum,
 Aut sine funereis raptantur ad æquora pompis,
 Aut citra tumulum calles per & inuia campi
 Præpetibusq; ferisq; olida relinquuntur in vluæ.
 Quid maiora sequar factu & turpissima visu?
 Ipsa patrum furijis proles ex cordibus ardens,
 Errore & vitijis imbuta à traduce fonti,
 Sanguineis virgis, ingrato & verbere cædit
 Nuper honorati corpus tum exangue Sophistæ:
 Cui Pallas Phœbusque suas monstrauerat artes,
 Et veteres librare Sophos examine veri,
 Ad liquidam recti methodum, normam rationis,
 Ludibrium pueris traiectus acinace dorsum
 Vapulat in plateis, non illa didactra secutus,
 Nec stipe regali tales reuocatus ad vsus.
 Non mihi si linguis centum vox ferrea abeno
 Ore sonet, cunctas cladis comprehendere formas,
 Singultusq; fugasq; & voces ense cadentum,
 Omnia Christiadum percurrere funera possim.
 Vix Othomannigenas seuisse in nobile quondam
 Byzantium, quamuis superatum Marte cruento
 Tanta animi rabie, tali feritate putandum est.
 Gens dilecta Deo, ceu captæ rete doloso
 Illaqueantur aues, grauibus tum pro dita fatis,
 Perfidiæ armatæ circum obijciebat inermes
 Cervices miserans, cælo at sua vota ferebat,

K 2

Pauci

Pauci, quæis antiqua subit præcordia virtus
Non subito pressi casu, tectisq; periclis,
Concurrunt raris & se tutantur in armis.
Copia defecit pugnando viribus impar,
Nec ferus Alcides plures contra, improbus acres
Debilitat dextras labor, imminuitque vigorem
Continuus tenor, & conatum spargit in auras.
Corpora vulneribus defessa, manusq; sinistrae
Occubuere neci, & sonitum super arma dedere.
Victoresq; cadunt vnâ: lacrymosus vbiq;
Fletus, vbiq; acies, indignaq; cædis imago.
Plurima perq; vias voluuntur, perq; penates
Corpora, vis prohibet grassantes nulla latrones.
Liuet humus tabo, miscentur sanguine fluctus.
Compita vociferant, ferit exclamatio cælos.
Cladibus exultat miserorum impune tyrannis
Indocilis seruare fidem, secura Deorum.
Ultrices diræ, squallor pernix & Erynnis
Et circum cursans lacero discordia peplo
Prima phalangifera: Odrysij quoque pronuba Martis
Seditio, atq; auriga Dei feralis Enyo,
Indomitaq; secans terrestria falce rapax Mors,
Pone ruunt: fremitus, terror, formido sequuntur.
Atque expugnata veluti desæuit in vrbe
Omnem egressa modum periura licentia ferri,
Tetra Lycaonia feruent obsonia mensæ:
Dira Thyesteæ dulcescunt fercula cœnæ:

Nec

Nec fera vesani segnescit tragula lixæ:
Gliscit opus dirum, nulla est medicina furoris,
Atq; malis hominum tantis mitescere nescit.
Sed tanquàm ignis edax, fluidusq; in littora pontus
Materie crescit, viresque acquirit eundo.
Peccat enim impietas semper, neque desinit ante
Quàm caput in steriles Erebi condatur arenas.
Qualia Romanis olim spectacula theatris
Condemnatorum gemebunda caterua reorum,
Tristibus exhibuit caueis, circoq; relicta.
Carniuori in medio armenti, gregibusque ferarum.
Hic vbi multicolor pardus, barrhique Lybissi,
Et lince maculosæ, & panthera acris odore
Omniuoræque vrsæ, catulique oblita. Leæna,
Atque repandum acuens cornu Getulus in hostem.
Rhinoceros, nullaque cicur ratione domandi
Vrus hyperboreis è saltibus, & gulo pastus
Rara cui satias, concordēs dissidijque
Immemores naturalis: prædæ rapit omnes
Vnus amor stimulante fame, sitiuntque rapinam.
Curritur in medios, patuloque trementia vultu
Vngueque discerpunt corpuscula: planctus it alto
Læsorū, & toto querimonia robore stridens
Auditur: sed enim tanto iracundius instat
Bellua despumans, sternitque voratque prehenso
Raptor ouans spolijs, & sanguine perluit armos.
Membra fluunt sanie, stillant sub dentibus artus.

K 3

Quid

Quid memorem vltius? rabidi quæ meta furoris?
Cædibus accedit proscriptio cauta bonorum,
Et sine cognitione rei sententia dicta.
Succedunt plagium, furtum, dulcesq; rapinæ,
Stuprum, anabaptismus, capitalia mille scelesti.
Quale latrocinium terra fuit Ausone quondam
Sub tribus exitiale viris: quis talia cogat
Innumera ad numeros inflatus Apolline iustos?
Maeste noua feritate, nouos tibi conde triumphos
Ciuilis belli: tumidum caput enthea cingat
Laurea: desperate probos: sint omnia sancto
Conclamata gregi: Lapytharum viscere crudo
Centauræa fluant conuiuia: num Deus vltor?
Cuncta nè iam Themidis contraria legibus ibunt?
Vulturibus venia, & crux est speranda columbis?
Atque impune lupus vastet pastoris ouile,
Et vineta caper, pingues aper efferus aruos?
Lilia, fragrantès paradisi & cœlitis hortos
Et Pæstana roseta, & aprica vireta lycæi
Sus lutulenta, bouesq; feri, harpyiæq; rapaces?
Nulla cedo capitis periuri noxa larisq;?
Non ita, si Christus viuit, cœloq; potitus
Imperijs patrijs cuncto moderabitur orbi.
Hoc dominante, cui genitor diadema verendum
Et sine fine dedit præ cunctis esse Tetrarchis.
Cuius in aspectu mors est preciosa bonorum,
Vindictamq; anima assidua prece iugiter vrgens.
Nondum

Nondum absumpta salus & spes Euangelicorum.
Ultio fœdifragis diuinæq; talio restat
Passibus incedens tacitis, tardoq; futurum
Disimulans moderata gradu: si saxea possent
Molliri interea reproborum corda: sed inde
Compensans grauitate moram, cum fœnore reddit.
Hæ vitij positæ leges: euenta docebunt.
Voluitur en cœlum, neq; cœlo numina desunt.
Numina protectura suos, & vindice Zelo
Infandi sceleris meritam repetentia pœnam,
Lentam equidem, tanto at grauiorem: ludite cæci:
Ite leues quondam, sceleri iam nomina desunt.
Seq; suis stolidè Phryx viribus euiret excors,
Mitratæ gallo Cybeles correptus ab æstro.
Nec nisi verberibus miser emendetur adactis.
Væ væ securis damnum lugubre minatur
Abs exlegibus hei toties violata maniplis
Adrastia, reum comitans inopina procacem.
Nam quid ab hoc quæris tibi dira proteruia ludo?
Quo te pruritu lasciuia decoquit Idæ?
Ite leues pridem, si quis pudor, ite bilingues
Curetum ventres, Corybantum Gallica lerna.
Et vos Teutonidis Germanos fingite gentis:
Germanus quibus est furor, impietasq; dolusq;
Stellio distortus, prognatæq; Hibrides Orco.
Barbariem egressis omnem leuitate ferina
Et feritate leui, auditis & non prius ausis,

Barbara

Barbara Rhenanæ sint vobis nomina linguæ,
Nomine sinceræ fidei et pietatis honoræ.
Non intelligitis quæ principis omina vocis,
Vos quibus indignos & demonstratis abundè.
Egregias verò laudes, & opima refertis,
Hæc animos faciant, his increbrescite palmis.
Hacce toga sumpta fatuis excedat ephēbis
A teneris puer vnguiculis Cyclopica doctus.
Inuersas Mosis tabulas explete furendo.
Digna reperturi capitalis præmia facti.
Pone fides tandem, tandem in se Græca reuertet
Authori funesta suo, vindexque nefandi,
Vt premat in decimum vestigia tardior annum,
Laomedontæ superant incendia Troiæ
Periuris, aut hoc aut deteriore sub æuo.
Scilicet id restabat, vt incusatio fictum
Quæreret opprobrium, cæsorū abs indice falso
Sparteæ per, teretesque trahas, & cannabæ torta.
Atque hunc in finem conficto nomine iuris
Vngula cum fidibus perararet membra bisulcis
Vinctorum, integritas quibus officiosa reatus.
Vndique dimissis, vt & excusatio vana
Oratoribus, ambiguo periuria crustet
Pigmento: Catuli num cecutire putatis
Teutonas idcirco, quia vobis lumen ademptum?
Ceu Polyphemo inter tricas & vna natanti
Turpe suo in vomitu, dilutum vt sanguine bacchum
Faucibus

Faucibus eructat sanie taboq; cruentis:
Oppipare belleque cutem curatus opimam
Hospitum Achæorum lacerato viscere, & vdo
Cædibus, vt fert hæc Cyclopica vita, Lyæo.
Torre præambusto sopitum lumen adurit
Vtis Vlyssæo sine nomine, sed tamen vrit.
Ceca manent tales rectè infortunia cætos
Sanguinolentū Echetū, Lestrigonas, Antiphatemque,
Frons quibus est mentis diuini luminis orba.
Iusta libidinibus quæ debita pœna cruentis
Seu celeris veniat, seu sera, haud emanet vnquam.
Excordes quæ vos tandem dementia cepit?
Quod non in ceptis rude vestris crimen adhæret?
Num se præcipuè periuria blitea ledunt,
A tenebris nequeant veram vt discernere lucem?
Post restes & supplicijs absque ordine sumptis
Vestigate dein causam: sit equuleus huius
Iudicij arbiter & testis, torcular Iberis
Corpora diuellat pedibus, quo voce coacta
Euicta q; dolore reos peragant, quibus ante
Cum vacua delicti anima & vitalibus auris
Omnis adempta bonæ litis defensio, quam se
Expurgare queant, falsasq; retundere dicas.
Qualis cognitio gelidi præpostera nunquam
Brucleri fuit, & quos VVestphala terra Sicambros
Martis alit pullos: quin per Cocytia stagna
Tale nec arbitrium peragit Rhadamanthus, & Orci
L Quæsitior

Quæſitor Minos, ſuperant iam tartara terra,
Anné parum admiſſum titubans ni inſania piélas
Ad ſcelus ornandum tricas alleget, & omni
Iam conſtuprato rerum ordine iudicioq;
Indicta enectis cauſa, nunc cauſa fatenda eſt.
Ni, dijs ſi placet, & luſtrentur flumine falſo
Carminibus magicis ac ritibus excantato,
Aduerſus legem diuinam humanaque ſcita
Et contra exemplum ſinceræ Abramidis omne
Baptiſmos iterent pueri, ſacra falſa ſecuti.
Sacra Deo patrum veſtrorum addicta Baali,
Quæis vos perditis & veſtros errore prophano
Ni deteſtatis maribus ſpem ſtirpis auitæ
Impius euellat ſcalper, redigantq; cuculli
In ſua clauſtra piûm ſoboles terrore coactas.
Hic vbi dediſcant pietatem vana profeſſi
Aut in Gemonijs ſcalis tauroq; Perilli
Dura magis cunctis patientur mortibus: an non
Inuitis Canonum placitis? quorum tamen ampla
Vultis amatores à relligione videri?
Ni quos obtruncare palam non audet Erynnis,
Hos clam ſuſtollant, Cereri & permixta Lyæo
Toxica, reginis procerumq; parata puellis.
Ni ſale pernigro diçteria lota, relatu
Indigna, exagitent proieçta cadauera glauco
Gurgite, ſquammoſis humentem piſcibus eſcam,
Obtruncatorum ſine cognitione piorum.

Ludatur

Ludatur nisi de corio nil tale merentum,
 Gaudia vana, manus complosæ, agilesq; choreas
 Dæmonum & immixtis insana tripudia laruis,
 Per medias nisi perducant tristi alite cædes.
 Et nisi sit pietas, qualis Pharisæica quondam
 Abstinuisset manus mandata à cæde redemptas,
 Ut liquido liceat scelus eiurare peractum.
 Sicubi opus, totamq; alijs impingere culpam.
 Desinite artifices glaucoma obducere luci,
 Desinite exactis à pœnis fingere crimen.
 Res est plana satis, nec opus tam ignobile fuco,
 Semper inhumanum facinus fraudesq; loquentur,
 Posthumaq; ad seros transmittet fama nepotes
 Turpe stratagemata auditu, miserabile visu
 Horrendum factu, Cocyti summa refusi
 Excrementa suo terras ruitura veneno.
 Sic ne estis Christi falso de nomine dicti,
 Cuius supplicia atq; crucem renouatis acerbè?
 Quin Lanij potius vos carnificesq; Lanistæ
 Moribus in quorum positum, documenta reponunt,
 Conuiujs saturis præcidere Xiphomachæra
 Cervicem & iugulos, hæc vltima xenia potis
 Addere cognatis, & sic dimittere lautos
 Funerea acceptos epidipnide mortis amicos.
 Parcite letitijs breuibus, non perfidia vnquam
 Risit leta diu: seuum periuria vulnus
 Prodigijsa manet: fugitiuum pœna nocentem

Assequitur, minimè quo sperat tempore, seu sit
Irus is aut Cræsus, semper vigil ante scelestas
Excubat ira fores, Nemesisq; irrumpere gestit.
Sanguis humo queritur iusti dispersus Abelis
Vindictam poscens: sua cuiq; exorsa laboris
Authoramentum referent: Deus omnibus idem.
Cui nihil est tectum, quin clausi abscondita cordis
Scrutetur, medijs videat ceu luce tenebris,
Iustitiæq; oculis furuum discriminet albo,
Dispensans parili censuram & præmia lance.
Lumina qui cælo & terris illustra finxit
Cæcus erit? Themidis num fons exaruit, & iam
Desijt esse hominum meritis qui iusta rependat?
Ante Noah structam iustus quam scanderet arcam,
Fultus opum stratis toto regnabat in orbe.
Diuorum pariterque hominum contemptor Alastor
Rudere in euersæ peracerbis stragibus Hebron
Cum grauida socians incestas Hibride tædas,
Sethidumque natans effuso in sanguine, palmis
Successuq; ferox, longos texebat amores:
Narcisso, vernante rosa, cytheræide myrto
Serranis violis, casia, luxuq; venusto:
Multa: beans semet cælo, tellure, mariq;
Dapsilibus siccans aruisia pocula cœnis:
Venatus cunctis apinas & gaudia regnis.
Donec ab insolitis disrupta fragoribus æthra
Præcipites adigit nymbos & flumen aquarum,
Quale

Quale nec hyberni totus vehit alueus Istri:
Ac fractis cæli cataractis agmine lato
Deucalionæus super infera funditur imber.
Et simul Oceano irrumpens cunctas mare terras
More repentini tonitru rapidæq; procellæ
Occupat, inuoluens homines, volucresq; ferasq;
Nec reditura istum sæcla aurea deinde sub orbem.
Talia nunc rursus si ducunt pensa sorores,
Et veteres iterans vehit hora nouissima causas,
Quis simile exitium mundo prope credat abesse?
Compositi nisi quod pacti memor Iridis arcu
Supplicium castigator conuertet in ignes
Pone Thalassiacum: queis nunc præcluditis eheu
Monstra, pyris structis facibusq; haud omine fausto
Illatis Euangelio, domibusq; piorum
Immerito: sed enim redituris turbine nigro,
Ni vanum augurium docuere enigmata vatum,
Sinciput in scenasq; tuas Oenotria pellex.
Ad fontem ante suum Libani per saxa recurret
Iordanis, sumptasq; pecus moderabitur alas,
Et prius æthereiq; poli tractusq; profundi
In Chaos antiquum mota statione redibunt,
Decedetq; sua natura atq; ordine rerum
Ductibus & tabulæ certis ac sede beata,
Et signaturis cerarum, orisq; sigillo,
Veridicus Deus ac nullo mutabilis æuo
Non animaduertat quàm castigabile factum,

L 3

Quam

Quam non vindicibus soluant commissa flagellis
Authoresq; pari sua noxa coërceat vrna.
Nec mandans libra, & faciens pendantur eadem.
Hospes non violandus erat: sacer esse putatur,
Qui contra faxit, deuotus is & sacer esto.
Bistonius quondam ceu ductor opima suismet
Pabula factus equis, profugum quos sospes alebat
Carne prius: qui Niliacas perfudit & aras
Sanguine iure suo (pœnas Alcide petente)
Ante peregrino solitas marcescere tabo.
Sæua Lycaonia tandem bellaria cedri
In caput hospitij redeunt, absumitur æstu
Tota domus, lupus ipse pilos non pectora mutat.
Aduenam vt Æthiopes meritum benè Persea vexant
In solida ingrati Cephæni saxa rigescunt.
Extera cauponans Lynceus Schyta fata parabat.
Mopsopio diuersori, mox Lynce fugacem
Induit: à maculis variato tegmine sparsis
Cornea produntur dubiæ præcordia fibræ.
Sed caninus surdis: quos non effata Sybillæ
Hos minus ante suum veterata exempla mouebunt,
Euge ergo vitijs: faciles dissolue cachinnos
Ad planctum Isacidæ, furiata in clade piorum:
Sydera quam terræq; gemunt, naturaque tota,
Dirus vt obgannit crucifixo verpa Iehouæ
Dum tellus tremit atq; diem negat abditus æther
Saxaque dissiliunt Domini exhorrentia lytron.

De

De victis tibi perpetuum molire triumphum
Subsannato piæ mastigia fata Sionis.
Leta trophæa micent Parijs affixa columnis.
Donec in humanis fors desultoria rebus
Voluitur, euentiq; animos dilatio tollit,
Irride. Domini quæ sunt firmissima signis
Omnium & ætatum exemplaribus obdita certis.
Ac quasi re gesta benè, lenitis populorum
Multorumq; animis, inuade aliena proteruè.
Absorbeto tuis totum insatiabilis orbem
Spebus, qui tua vix poteris quandoq; tueri.
Perge ista scabie, & secto gallare furore,
Lustra iuuent, & lustrari, biforisq; cicutæ
Turpes ad numeros facilem ductare choræam.
Dum natat in lacrymis & inulto sanguine Christis
Criminibus violata tuis, ac illice ferro.
Attamen hæc stabili mox postea lege sequentur,
Non extæ tibi sunt aliæ, aut quærendus aruspex.
Emerget tandem tantis Ecclesia damnis,
Absterfa humentes lacrymas, absterfa reatum.
Ipsius quam nunc opibus sub nomine ficto
Viq; doloq; pari frustra oppugnatis ouantes.
Vestra sed excipient inopini gaudia luctus
Hesperios querulo clausuri sine tumultus.
Implicitumque suæ capient polypragmona retes.
Debilis ignescet recidiua mole colossus
In leue rudetum & paleam Borealibus auris

Spar

Spargendam, turres ac propugnacula muris
Ardua, cum pompa mundi laruisq; fathiscent.
Cuncta lababuntur putri pendentia filo,
Quæ nunc perstringunt oculos terrena petulcos.
Vnus erit victor Christus cum gente piorum,
Qui sine fine decus regni immortale tenebunt,
Mortis inexperti vita, terraq; poloq;
Conspicuaq; Dei sapientis luce fruuntur.
Autolycos sed enim detestandosq; Sinonas
Antiphatae sobolem, germen fatale Neronis,
Lusibus in medijs, extrema nocte corollæ
Atra vorago dehiscenti tellure caminis
Immittet Phlegetontæis, vbi morte secunda
Quicquid commeruere feri dependere mores
Palleneæ sua mercede piacula luentur.
Non quit id, inflexus nisi cæli est cursus, abesse
Longius, extremam commissa suprema ruinam
Accelerant: hoc naturæ rata monstra loquuntur
Non gauisuros longa trieteride, quotquot
Offendere suis Diuos hominesque cothurnis.
Num Iouis auricomam faciem qui vertit in ignes
Mars austere tuos, facibusque accendit olympum
Non prius aspectus prænunciat ista Cometes?
Cæsar vt occiderat plus viginti tribus ictus
Vulneribus, micuit subito non sydus Iuli
Creditum vt est vulgo, sed vicinæ horridus iræ
Nuncius, ostentans queis totus concidit orbis

Dura

Mira trium consulta virum, mutataque clauis
Frena, suis temerè collisa rudentibus, atque
Hostibus externis faciles pandentia portus.
Ostiaq; à valuis civili clade reclusis.
Incurfus quorum hos motus plerumq; sequuntur.
Occupat attritas exoticus belluo prædas,
Semirutis incumbens per postica mapalis.
Intestinorum communis prædo furorum.
Gottica persimilem portendisse arma Cometam
Imperio exitiosa tuo Romane, Poëta
Præcinnere tui: num par nunc exitus instat?
Hoc utcunq; fiet, magna portenditur ingens
Fraude malum, nec abesse diu crudelibus ausis
Iustitiæ potis est radius, Nemesisq; flagellum.
Si sapitis, proceres attendite, pœniteat vos
Commissi, precibus vitæ frugalis & vsu
Officijsq; pijs, iram anteuenite minantem,
Et resipiscenti præuertite cladibus ore.
Sin minus: infectam ad radicem est posta securis.
Percutiens foribus cum flebili inambulat æstro
Angelus, exitio Pharijs venturus alumnis.
Ante rata excedens serie sublimis olympi
Phæbus ab occasu currus agitabit ad ortum
Quàm cita tam turpes vltum Rhamnusia technas
Non eat, auxilium innocuis, & vindice tæda
Allatura suam mercedem infamibus orsis.
Ad quorum auditum tremulus diffugijt æther

M

Et

Et sua Thessalico conuexa colore retexit:
Extremamq; diem, nec iam placabile cœlum
Dædalis effete terræ ostentauit alumnis.
Et doluit veluti quondam Canaitis amarè
Cuius ab Eumenidum furijs obsessa propago
Materna horribili præcordia torruit æstu.
An similis non est? num noxior ista phrenetis?
In sua cum primis, tum publica damna furenter
Debacchans, sine lege sacra, sine lege prophana,
Naturæ, & fandi simul immemor atq; nefandi.
Heu nihil offenso fas quemquam fidere Christo
Luminibus cuius mendacia nulla rubentes
Abscondunt maculas, & inexcusabile crimen.
Ordine quin merito mox decurrentibus annis
Denudet cæcum, mediaq; in luce retexat
Sanguinis innocui dicam inscripturus acerbam.
Hoc rerum potiente, cui pater annuit orbem
Et regnum sine fine dedit, nondum omnia turbæ
Deplorata piæ, nec abest fiducia victis.
Vlciscetur enim tragicos is agonius ausus,
Promeritis reddens æquata brabia tragædis.
Bruta scelestorum instantis mens inscia fati
Et medium rebus seruare elata benignis.
Si licet arcanos Parcarum euoluere fusos
Ni resipiscendo vigili præuertitur iræ,
Tempus adest picea cæcans fuligine cœlum,
Fulguribus grauidum trifidis & sulphure viuo.

Murmu

Murmurat horrificis caligans nubibus aër,
Infremuitq; vago tonitru subitoq; fragore.
Ignibus ecce micat violati conscius aether
Fœderis, irarumq; Dei, qui lege seuera
Humanos properans tandem punire furores,
Turbida Phlegæum torsit per nubila fulmen:
Contremuere poli, pelagus, terræq; nocentes.
Mulciber accelerans irati iussa Tonantis
Et volucer Steropes, socioq; Pyragmone Brontes
Inuadunt urbem secura in nocte solutam,
Gaudentemq; malis & ouantem in clade piorum.
Incubuere citi, totumque à sedibus imis
Strage vorant, cremat ignis edax, tristemq; ruinam
Vulcano superante trahunt turreisque domusque,
Obtinuere locum, petit ater sydera fumus,
Ambusto Ætneis facibus dominantur in astu
Ocyus & ventis præeunteque fulgure ventos
Flamma vorax rerum, mistisq; incendia fumis
Omnia destruitis, tepesactum sanguine puto
Ante lutum, calet, & penetrali liquitur igne
In cineres, limumq; picis, stygiamque fauillam.
Iustitiæ exemplum, magni solatia luctus.
Hæc tibi summa dies, alijs documenta sub æuum
Venturum missura, Deum ne temnere frustra
Fas sit, & indignas bellorum querere causas.
Sic Chartago, Quirinique arx, sic Ilion ardens
Æstuat, Æneadumque armis excisa Corinthus.

M 2

Sic

Sic quod sacrilegos inuiso triste sub Orco
Supplicium manet æternis cruciabile flammis,
Sic Sodomæ vruntur, tandemque fluentibus annis
Cætera sic etiam regna impia iure liquescent.
Quod non somnia, non auspex, lustralis & exta
Condita sed folijs sanctorum oracula vatum
Ætatisque pares euentus ante peractæ
Atq; Sybillinis intexta ænigmata chartis
Omne præmonstrant annis verace futuris:
Discite quod beat admoniti, neq; ludere Christum.
Talia muscoso memini cantare sub antro
Prothea, Silenumque pares & fundere versus,
Et ventura suis portendere fata diebus.
Claudite iam Nymphæ riuos, en claudit olympum
Mundi oculus, terris nox incubat omnibus atra.
Pieris excepit calamo dictata sequace,
Protinus & defert illustri præpes Elise
Anglica qua incolumis gaudet modo principe tellus,
Et benè Romana diuulsi abs vrbe Britanni.
Corpore fœmineo quæ animos gerit alta viriles
Masculaque inuictis heroica robora nervis
Heroinarum decus huius gloria sæcli.
Harpalice velut, aut Thomyris, lunataque peltis
Penthesilea, Deiq; potens virtute Camilla.
Linguarum decus omnigenū bonus addidit Hermes,
Tela, arcus, & virgineam Dyctinna pharetram,
Doctifonas artes, Musarum munera Phæbus,

At

At Pallas sapere & bellis præstare gerendis,
Æternum & benè nosse Deum, quæ maxima laus est,
Ac regere imperio populos clemente feroces.
Numina quo discant celebrare, decoraq; cœli
Luce sequi superæ monstrato tramite vocis.
Dum vicina polos terrasq; catharmata vastant
Inq; virili animos specie produnt muliebres.
Nullius indolis aut frugi pietatis & usus.
Perniciosa sibi ac alijs diri organa ditis.
Expedit quibus aut non nasci, aut ocyus ante
Interiisse, piæ quàm tot dare Christidi damna.
Illam Neptuni gener & Nereidis vduus
Sæpius obstupuit Thamesis, dum pectine molli
Exercet cytharam, & modulamina gutture fingit,
Arbuta, populeas frondes, saxetaq; Thules
Attonitasq; feras cantu scopulosq; trahentem.
Duricie vt posita ceu iactu Deucalionis
Induere ingenium, sese novisse Deumq;
Incipiant, tanta est Orphæi gratia plectri.
Hanc absens miserata ducem, cui pulcher Apollo
Fontis & assurgit chorus Hippocrenidis omnis,
Calliope colit, & semper cupit esse vacantem
Curis atq; metu terroris: quæ sciat olli
Quantum sit pretij, quod rebus pondus agendis:
Isacidis quanti procedere referat auras
Vitales vt soligenæ (nam hæc altera phœnix)
Oscini, in antiqui spatiosos Nestoris annos.

M 3

Proscri-

Proscriptorum etenim varios miserata labores
Sola propè hæc, reliqui vt stertunt, odere, cachinnant
Reliquias Euangelij, terraque marique
Omnibus expositas telis & risibus, aula
Ac ditioe sua, & ruris locupletis amico
Excipit hospitio, vimque aduersus tegit omnem,
Quæ tibi nascenti cælo affulsere sereno
Sydera? qui talem tantis excellere factis
Et genij extremis voluerunt crescere sæclis?
Non opis est hominum condignas reddere grates,
Sed bona quæ largis compensant numina dextris,
Nec vel aquæ frustra miseris extorribus haustum
Permittunt sine honore dari ac mercede reposta,
Præmia magna ferant: at si quæ conscia recti
Corda manent, meriti neque mens oblita recepti;
Si quid adhuc est officij, quocunq; sub astro
Lazaris exilium & sortem tolerabit iniquam,
Munificæ nunquam meminisse pigebit Elysæ.
Mitis opima patrociniij benefacta ferentur
Laudibus, & cedro florebunt sculpta virenti:
Flumina dum pelago decurrent, collibus vmbrae
Lustrabunt, celebresq; fluet circum vnda Britannos.
Solicito hanc ergò cultu quia Pegasis ambit,
Haud equidem immeritò, namq; huius copia rara est,
Et reputans lugere vicem Didonis acerbam,
Seu ponente die, seu sudum mane rubente,
Ne se lamentis exhauriat illa veretur;

Atq;

Atq; cathenato frangatur ab orbe malorum
Plurima sidereis dudum quæ vidit ocellis:
Magnanimæ hæc deportat heræ, medicamen acuti
Exiguum morbi, celeris modulata Camænæ.
Si qua queat Domina solatia ferre gementi
Cordolium aduersus, perque illætabile fatum.
Se luctus sociam queruliq; professa doloris
Sordidiore habitu, lachrymis, pullaq; lacerna
Incomptisq; sonis factæ ad lugubria Musæ.
Ex illo nobis est tempore carmen, Elysa,
Cura Palæstini cætus & nomen olympi.
Cuius honoratas laudes metuente resolui
Fama vehet penna: donec bipatentia cæli
Ostia concludet deducta virgine sponsus.
Sponte redux & prosper ades, germane remigra,
Phosphore grate tuis, sed formidabilis Orco
Comitia extremæ peragens optata diei
Reddere iura redi, scelerumque coargue terras.
Vt tibi perpetuum læti Pæana canamus

Preces piæq; lacrymæ
Sunt arma nunc Ecclesiæ.

ETIAM VENI DOMINE
IESU, AMEN.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Cl 4160

ULB Halle


3


003 485 978



mc







B.I.G.

Farbkarte #13

ÆNIGMA TI MORVMENON

IN

LVTVM SANGVINE

MACERATVM



Psal. 119.

*Tempus est ut faciat Dominus, dissipauerunt legem
tuam.*

Apocalyp. 13.

*Si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi:
Hec est patientia & fides sanctorum.*

M D LXXIII

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

